


All, 35.

3, 30.







T R A C T A T V S  
DE  
PACTIS  
CONFRATERNITATIS  
PROLVSIO.

---

A V C T O R E  
PETRO HASELBERG  
L U. D.

---

GOETTINGAE,

Apud VANDENHOEK ET RUPRECHT.

1787.

LIBRARY  
LAWES  
COLLEGE HENRIETTA'S  
SCHOOL



## *C O N S P E C T U S*

---

Prooemium §. I.

### *Pars Prior.*

*Differuntur quaedam de vera pacifici confraternitatis  
notione, notantur simul errores communes  
& illustrantur exemplis.*

Pactum confraternitatis, quid sit? ex rerum argumentis & veteribus tabulis explicatur §. 2. — Minus recte distinguitur in unilaterale & bilaterale §. 3. — Nec cum quis mutuae successionis pacto vel gentilitio pro eodem habendum §. 4. — Probeque fecernendum ab unionibus hereditariis §. 5. — Aequae ac ganerbinatibus §. 6. — Multum quoque distat ab exspectatiis §. 7. — Forma totius tractatus adumbrata §. 8. — Dicta illustrantur ex praecipuis pactorum confraternitatis exemplis, & quidem prima proponuntur, quae talia plerumque perhibentur, nec tamen sunt, verbi causa, pacta in domo Mecklenburgica, cum a diuersis eiusdem stirpibus inter se §. 9. — Tum cum domo Brandenburgica inita §. 10. — Additur adhuc hereditarium pactum inter comites Honsteinenses ab una & comites Stollberg. & Schwarzburgicos ab altera parte compositum §. 11. — Ut & gentilitium pactum inter domum Brandenburgensem & Zolleranam §. 12. — Nec nomen confrat-

ter.

ternitatis pacto inditum veritatem semper firmat  
§. 13. — Sicuti & exempla sunt pactorum, quae  
licet vnionis hereditariae nomine insignita, tamen  
pro pactis confraternitatis iure habentur, quorum  
adponitur vnum §. 14. —

### Pars Posterior.

#### *Exponuntur nonnulla de origine atque principio pactorum confraternitatis.*

Eodem modo haec semper explicantur — sta-  
tus Germaniae antiquus turbulentissimus — nata  
inde mutuae defensionis pacta — bonorum com-  
munio — ex his subinde pacta mutuae successio-  
nis — atque confraternitatis — nulla quidem rati-  
one habita rerum & temporum, quibus singula pa-  
cta componebantur §. 15. — Suggeruntur exem-  
pla, quae diuersas diuersorum pactorum testan-  
tiones, inter quae prae aliis eminent pactum con-  
fraternitatis Austriaco - Bohemicum §. 16. — Ex-  
ponitur ratio pacti inter domum Brandenburgensem  
& Bauaricam §. 17. — Ut & inter duces Bruns-  
vicenses & Saxonie electorem ducesque initi §. 18. —  
Disputantur nonnulla de initio pacti, quo iuncti  
sunt duces Pomeraniae & Brandenburgici Marchio-  
nes §. 19. — Et singularia quaedam pacti Saxon.  
Hennebergici notantur §. 20. — Denique con-  
cluditur §. 21. —

---

PROOE.

---

## PROOEMIVM.

---

### §. I.

**N**ec meliorem vllum nec grauiorem rerum gestarum iuriumque inde constitutorum testem esse historia, vno omnes ore fatentur prudentes tum veteres, tum recentiores, secundum celebre illud Tullii <sup>1)</sup> effatum: „historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis,.. Quaecunque enim non sola cogitatione & argumentationum vi inuenta sunt, sed facta & instituta, quibus innitantur, desiderant, nec cogitando solum erui, nec recte sciteque definiri posse, nisi demum diligentius haec inuestigando, & ad vestuta-

1) CICERO *de Oratore* Lib. II, 9. (edit. Bipont.)

A

tuslati monumenta recurrendo, ipsa rerum natura  
satis docet atque experientia. Quare si iura & obli-  
gationes in iure Germanico publico aequae ac priua-  
to obvia accuratius noscere velis, patrios mores in-  
stitutaque, quibus originem debent, diligenter per-  
curras & semel iterumque attentius confideres, ve-  
terumque monumentorum, in quibus abscondita la-  
tent, in diuersis diuersorum collectionibus disper-  
forum, inspicias cumulum, quaeque rei sunt argu-  
mento, ex iisdem deponas atque feligas, necesse  
est. Plura sunt eiusmodi instituta, non semel qui-  
dem simulque enata; nec semper sibi aequalia, mul-  
tas ante subiere vicissitudines, quam eam in for-  
mam, quam nunc habent, redigerentur; contra &  
alia vnum & perpetuum ab initio servare tenorem,  
leuioris tantum momenti mutationes experta; alia  
etiam tempore procedente plane antiquata. Igitur  
quo facilius quae incrementa ceperint, perspicia-  
tur, quasque deminutiones sustinuerint, quomodo  
mox sensim decreuerint, mox prorsus euanuerint,  
veteres quae euoluantur tabulae, semper in promptu  
esse debent, e quibus & originem & progressum  
eorum enucleare & indolem rectius explicare deni-

que

que & quis hodie eorum sit usus, iuriuunque inde  
prosectorum ratio, dijudicare queas, si cum rerum  
statu eadem comparaueris. Qua opera qui superse-  
dere maluerunt, res pro aliis atque reuera sunt ha-  
bentes, non potuerunt non in errores incidere, qui  
quanto maiorem iis plures rei ignari fidem tribue-  
rint, tanto periculosiores iuribus accurate illustran-  
dis fuere.

In primis igitur cauendum mihi videtur; ne,  
vti plerumque fieri solet, iuris cuiusdam formetur  
notio, & distinctiones singantur, priusquam ipsos  
fontes adeundo rem ipsam eiusque indolem satis co-  
gnitam habueris; quo demum factio, pluribusque  
rei exemplis satis inuicem collatis, regulae inde col-  
ligendae sunt generales, e quibus alia eiusdem ge-  
neris iura rectius dijudicare liceat, quum e contra-  
rio in priori casu nimis anxie inhiandum sit argu-  
mentis, quibus notio rei sponte subiecta firmari  
possit.

Monendum porro est, ne, qui communis se-  
re est error, morum ac consuetudinum Germaniae,  
si qua alia aptior inueniri nequeat, ratio & fons in

vniuersa aliqua rerum imperii conditione, quae magnum in omnes partes habuit momentum, quaerantur, quod quo facilius dictu, eo difficilis est probatu: sic quidem opinio, quod a turbulentissimo isto tempore, quo vi & armis succubuit iustitia, plurima iura ac instituta recte deriuari possint, quibus tamen sua cuique causa, licet haud raro adhuc occulta atque obscura, fuisse videtur, in multos errores adduxit eosque non leues, quibus debita historiae fides magnopere est turbata.

Perinde sece res habet cum his, qui tempora quaedam, quibus rerum summa grauissimas subiit mutationes & varios motus, quorum haud leuis se exseruit vis ac momentum in totam regiminis formulam & reliqua omnia cum principum tum subditorum iura & obligationes, constituant, ad quae, quotquot exstant rerum iuriumque vicissitudines, reducendas esse sibi persuadent, id quod summa cura & diligentia, vario variorum argumentorum nexu, firmare amittuntur. Quibus enim quam parum successerit consilium, ex eo statim cognoscitur, quod quas rebus subiecerint notiones, & distinctiones ex cogi-

cōgitauerint, probare non valeant, nec, dum tabularum veterum, quae obueniunt argumenta, sententiae frustra accommodare student, in alia omnia discedere cōacti sibi ipsi bene constent, quare si, quae dubia in tali materia adsunt, illis attribuantur ne mirentur, quod iustam, in quam incurserunt, reprehensionem effugere nequeant.

### Pars Prior.

*Differuntur quaedam de vera paci confraternitatis notione, notantur finali errores communes, & illustrantur exemplis.*

#### §. II.

Sunt quidem luculento dictorum argumento dubia, cūm vbique in successionis materia, quae inter illustres Germaniae familias locum habet, obvia, tum vero in his, quae notatu dignissima nobis visa sunt, successoria pacta, quae confraternitatis plerumque vocantur; quorum de vi & in dolo ut melius constaret, aliorum, qui idem tractarunt argumentum, errores prolusionis loco paullum notare constitui; quare & rationem & naturam eorum

ex veteris aeui monumentis diligentius explicare, iustumque, quam rei subiiciamus, notionem formare iuuabit, etenim ut Taciti verbis vtar, „non sine vsu fuerit, introspicere illa, primo aspectu leuia,, 1).

Quorumcunque consului scripta, viri eruditii in eo fere omnes conueniunt, quod confraternitatis sit pactum, quo duae pluresue familiae mutuam sibi spondent successionem in alterutrius, si exstincta sit, bona 2). Nec, quod aliis placuit 3), in locum verbi *familiae* gentes substituere vellem, propterea quod non diuersas tantum gentes, sed & vnius eiusdemque gentis diuersas stirpes seu familiias mutuo eiusmodi foedere nonnunquam iungi posse mihi persuadeo, vti ex insequentibus mox pate-

1) *Annal.* Lib. IV. cap. 32. in fin.

2) v, PFEFFINGER in Vitriar. illustr. T. IV. p. 200. lit. a. qui tantum quaedam adiecit, a iulta definitione aliena. Celeb. G. L. BOEHMER in diff. de impedita feudi consolidatione. (Goett. 1757. 4.) §. 22. Gener. DE SELCHOW in elem. iur. Gerin. priv. hod. §. 626. MVELLERS Reichstags-Theatrum Max. I. T. I. p. 565. §. I. Io. LIMNAEVS in Iure publico. T. II. Lib. IV. cap. 8. n. 126.

3) e. g. Io. DAN. KIND de vniunionibus hereditariis in Germania per iuris manuarii acuum visitatis. (Lips. 1785. 4.) §. 6.

patebit. Ceterum vero, vtrumne illustres tantum, an & nobiles 4), pacta talia inire possint, vtrum feuda tantum, vt opinati sunt quidam 5), an alodio quoque, singulane bona an vero omnia 6), iis contineantur, vtrum post exstinctam iam alterius familiae stirpem masculam, vel demum feminam superstitis incipiat successio? — quae quidem omnia alibi examinanda hic praetermitto — in notione formanda minime curari, dum non ad essentiam pacti confraternitatis ut dicunt, sed naturalia tantum, vel lege vel obseruantia vel conuentione tandem pacifcentium determinata pertinent, nemino nescit. Omnem potius, si essentiam pacti spectaueris, viam eius ac potestatem in eo sitam esse, vt lex mutuae successionis post unius alteriusue familiac deceffum valitura conderetur, cum rerum gestarum tabulae, quibus solis iam summa habenda

est

4) GVL. AVG. RVDLOFF de partis successorii illustrium & nobilium Germaniae, speciationi iis, quae pacta confraternitatis appellantur. (Rostoch. 1770. 4.) §. 6.

5) IO. WILH. ITTER de feudis imperii cap. 17. p. 783. §. 6.

6) RVDLOFF l. c. §. 9.

est fides, ex iisque rite desumpta argumenta, quibus  
luculentiora vix existant, tum verborum nominum-  
que adhibitorum vis satis superque declarare mihi  
videntur & optime firmare.

Nomen enim quod attinet, ut ab eo incipiam,  
sicuti fratres naturales arctissimo sanguinis vinculo  
colligati inter alia sibi communia mutuae quoque  
successionis iure tantum non semper fruebantur;  
& foedere tali iunctos, quo nomen fratrum aequo  
ac iura communia sibi tribuebant, mutua successio-  
ne gauifos esse, haud dubium videtur. Nec demum  
ex iure Romano nomen hoc arcessendum putau-  
rim, ut quidam volunt 7), cum antiquitus iam  
moris Germanorum fuerit, ut cuiusvis generis  
coniunctionem seu plurium societatem 8), cuius  
ratio vel in mutua ope ferenda 9), vel in quarum

vis

7) *Idem* l. c. §. 4.

8) vid. BENED. CARPOV, de pacto confraternitatis Saxo-Haffia-  
co in Volumine disput. histor. polit. iuridicarum. (Lips. 1651.  
4.) p. 87. §. 8.

9) Catus innumera existant exempla apud IO. PHIL. DATT de  
pacē imperii publica. Lib. I. cap. XI. p. 81. n. 53. & tot. cap.  
7. imprimit vero cap. 14. p. 103.

vis rerum communione 10) continebatur, fraternitatis nomine insignirent. Quod quidem licet antiquissimis huius generis pactis, in quibus mutua promittebatur successio, seculum XIV., quoisque inuestigare nobis adhuc licuit, aetate non multum superantibus, insertum non inueniamus, denegare tamen non ausim, alia nominis eiusdem & argumenti vel superiori iam tempore esse foedera, nisi quod tabulas eorum introspicere nondum contigerit: quae vero a seculo inde XIV occurrunt, tantum non omnia nomen hocce gerunt 11). Quae-

cun-

10) Mirum, quam variis & singularibus consociationibus fraternitatis nomen imponebatur! Exempla inuenire licet in *Momnum. Boic.* Tom. XII. p. 437, n. 89 & 92. T. III. p. 63. WILL. ROBERTSON's history of the reign of Charles V. (Lond. 1782. 8.) Vol. I. p. 338. HALTAUS in glossar. iur. German. v. Bruderschafft, qui exempla ex sec. XIII. adserit.

11) Verba pacis confratern. a. 1373. Saxones inter & Hassos initii sic sonant: „verbruedert und vereint.“ MUELLER loc. cit. Vorstell. II. p. 566. A. 1392. quo renouatum est, dicitur: „Bruderschafft, Eynunge und Verbuntnisse.“ MUELLER l. c. §. 10. p. 568. Confraternitatis vero vox (Erbverbruederung) hoc sensu sumta, ut mutuae successionalis paetmn significet, senioris demum temporis inuentum videtur; nos saltim, ni

cunque igitur hac ratione eaque mente a diuersis familiis composita sunt foedera, vt tanquam fratres se inuicem spectarent, & iura eorum secum communicarent, quamvis nomen non semper sumerent 12); & mutuam singulis post alterius mortem largiuntur successionem, quum e contrario, qui buscunque ab vna tantum parte alteri promittitur successio, nec nomen idem, quantum quidem scimus, subiectum sit nec eadem ratio, quippe quae non tam in successione, quam in aliis rerum momentis collocanda videtur.

### §. III.

Quibus diligenter consideratis, non satis intellico, qui fieri potuerit, vt vel ad vnum omnibus distinctionem inter pacta confraternitatis *bilateralia* s. *reciproca*, vt dicunt, & *unilateralia* adferre place-

ret,

fallimur, non ante secul. XV. vocem „Erbbruederschafft“, in pasto Saxon. Haffi. a. 1431 deprehendimus. MVELLER I. c. p. 572.

12) Verbi causa, pactum inter Bohemos & Austriaeos a. 1364 initum: „Vermachung, Vereinigung, Ordnung, Gab, Gemächtaus, Bündtnüsse, tantum appellatur ap. LVENIG Reichs-Archiv. P. Sp. Cont. I. I. Fortf. p. 54. seq.

ret, prout scilicet vel vtrique vel vni tantum pacientium vel mutua vel simplex post alterius prolem existentiam promittitur successio 1), quum, vt mea quidem fert opinio, nec in rerum argumentis ex ipsis foederum compositorum chartis desunitis, nec in ea quam effinxerunt rei notione, illa bene fundata dici queat, quippe quae, si accuratius perpendideris, eo in primis tendat, vt pacientes conventionis vi par successionis ius nanciscantur; quo non facto, intellectu difficile esset, cur fratum nomen adsumerent, qui iurium intuitu ab iisdem discrepant; nec demum notas & signa adferre valerem, quibus pactum confraternitatis a simplici successorio pacto recte distinguatur, quo quis ex moribus institutoque Germanorum terras suas vel partem earum post mortem in alterum transferendas curare solebat. Sed vt taceam, ne semel quidem confraternitatis nomen aut eius generis alia pactis successoris sim-

pli-

1) Videbis e. g. sententiae huius defensores PFEFFINGER in Viti, illustr. T. IV. p. 200. §. 82. lit. a. RVDLOFF loc. cit. §. 10. KIND §. 6, p. 31. IO. IAC. MOSERS Teutsches Staats-Recht, T. XVII. p. 157. §. 183.

plicibus adplicata legi 2), vel ipsa rerum in iis tractatarum argumenta nimio plus docent, non eam fuisse paciscentium mentem, ut fraterno se foedere iungerent, sed aliam aliorum fuisse rationem; id quod ex ipsis eorum, quae talia exhibentur, exemplis proprius mox contemplandis, magis illustrabitur.

#### §. IV.

Ne vero quisquam haec ita forsitan liberius interpretetur, ac si pactum quoduis mutuae successionis cum confraternitatis pacto aequandum putem, animaduertat velim, ita ea inter se differre ut posterius tunc demum locum obtineat, si ea paciscentium ratio sit atque conditio, ut successionem, nisi mutuo stipulati essent, iure nunquam post alterius mortem vindicare potuissent; quare utrum diuer-

2) Quae enim in pacto Brand. Bohem. a. 1363 inito legitur „fraternitat̄, vox, nil nisi receptionem in simultaneam investituram valere, partim ex reliquorum verborum vi & ordine appetet, partim ex iis, quae adiecit celeberr. GERKEN in cod. Diplomat. Brandenb. T. III. p. 110 seq. n. 31 ibique not. a. quēm quidem vnum mecum sentire obseruauit, dum in mutuae successionis formula definita confraternitatis rationem positam esse affirmat.

diuersae sint gentes, tan vnius diuersae stirpes, nil interest, dummodo haec, in quo rei cardo versatur, diuisione in totum facta tam longe inter se discent, ut tanquam plane diuersae spectatae successionem nullo modo adpetere queant; prius vero omnes alios complectatur casus, ita comparatos, ut ope eius non demum successio constituatur, sed iuri successendi ac modo noua vis & accuratior definitio inde tantum accedit; sicuti, verbi causa, vnius eiusdemque gentis diuersae familiae, licet arctius coniunctae quam ut successio iis eripiatur, hereditaria seu gentilitia pacta saepenumero inter se componere solent, quibus inter alia haud leuis momenti argumenta & successionis mutuae vel ad eam stabilendam, vel diligentius determinandam, mentione non nunquam iniicitur.

Quae licet penitus perspecta ne dubium quidem admittere videantur, tamen non deesse viros eruditos qui pacta modo memorata probe secernere negligentes, posteriori generi confraternitatis nomen minus recte tribuerint, argumento est illustre illud gentilium pactum, Bauaricam domum inter & lati-

latinam a. 1524 initum & duobus post seculis repetitum, quod nil nisi confirmationem pacti istius celebrati Papiae facti continet, quo domus Bauarico-Palatina aeternis se vinculis iunxit, & sanguinis agnationisque iuribus stabilitis, mutuae successionis legem fancivit perpetuam atque immutabilem, cuius memoriam ut saepius reuocaret & vincula semel nexa amicitiae aequa ac successionis magis adstringeret, non vero ius mutuae successionis denuo constitueret, semel iterumque pacta haec renouauit, & semel constitutis nouam vim & robur addere studuit. En veram hic pacti rationem, cuius falsam nonnulli nobis obtrudere voluerunt 1), quasi nunc de num successionis lex condita sit, quae vetustate iamdudum roborata & firma steterat: id quod magis comprobant pacti a. 1724 repetiti verba, quae praeter mutui auxilii ferendi promissum successionis vix rationem habent 2).

### §. V.

1) PFEFFEL Novv. Abrégé de l'histoire & du droit public d'Allemagne T. II. p. m. 132 in fine, & PFEFFINGER, in indice, quem dedit, paotorum confraternitatis, loc. cit. T. IV. p. 217. §. 84. lit. a. sq.

2) Io. HEINR. BACHMANN Pfalz-Zweibrückisches Staats-Recht §. 86 & 87. Compara quoque, si lubet, ITTER de fend.

imp.

## §. V.

Est & aliud foederum genus haud raro cum pactis confraternitatis confundi solitum 1), nomine licet parum dissimile, re tamen dissimillimum; vniiones hereditarias sic dictas (Erbeinigungen) intelligo 2). Quam quidem vocem pro „quavis plurium coniunctione in perpetuum valitura“, in sensu primo & proprio accipi, ipsum iam nomen, in primis Germanicum optime docet: vocabulum scilicet *Erbe* inter plures eiusdem significationes & perpetuitatem & stabilitatem in posteros transituram complecti, plures animaduertere 3): Einigung s. Eynung vero confociationem seu foedus, quoconque demum consilio, inter quascunque personas, vel eiusdem familiae initum, indicare, plura quam quae

adfer-

imp. cap. 17. p. 787. MOSERS Familien St. R. T.I. p. 973.  
§. 4. b. RVDLOFF l. c. §. II. in f.

- 1) e. g. a Io. PHIL. STREIT de pacto confraternitatis inter nobiles aliosque priuatos moribus visitato. (Erford. 1718. 4)  
§. 6. lit. d. p. 20.
- 2) Quod argumentum ex proposito tractauit Io. DAN. KIND in cit. dissertatione.
- 3) HALTAWS in glossar. iur. Germ. v. Erbe & Erbeinigung.  
GOLDAST. de regni Boh. iur. ac priuil. Lib. 4. c. 14. p. 690.  
lit. η.

adferre lubet, in promptu sunt documenta 4): itaque nec satis congruam dixerim aliorum definitio-  
nem, qui iusto magis verbum hoc restringere cu-  
piunt 5).

Alter vero isque magis usitatus vocabuli sensus  
de „ea, quam plures ineunt conventione de perpe-  
tua amicitia mutuaque sibi ferenda ope“, usurpa-  
tur: ex qua notione iam, quid inter hanc & con-  
fraternitatis pactum intersit, abunde apparet: hu-  
ius enim sicuti prima & praecipua lex est mutua in-  
ter utramque partem constituta successio, illius  
quidem omnis vis & potestas in promissa mutua de-  
fensione atque consilio versatur: reliqua enim quae  
notantur discrimina 6), memoratu vix digna pu-  
taue-

4) Verbi causa v. FR. CARL. v. MÖSERS histor. diplom. Belu-  
fig. B. I. p. 34, ubi pactum familiae & LVDEWIG Reliqu.  
Micropt. T. I. p. 483, ubi transactio sic nominatur. SCHER-  
ZII glossar. med. aeui ed. OBERLINI v. Eynung.

5) SCHILTER in institutionibus iuris publici L. 3. S. I. §. 9.  
p. 319.

6) Sic, vt ostendimus, minus recte pactorum confraternitatis  
genus statuitur, in quo, aliter ac in unionibus hereditariis,  
ab una tantum parte alteri datur promissum, e. g. ap. PFEF-  
FINGER I. c. T. IV. p. 200. §. 82. lit. a. SCHEIDEMANTEL Re-  
pertor.

tauerim, quia partim a vero admodum abhorrent  
 partim parum ad essentiam & naturam pactorum  
 spectant. Omnes vero, quotquot inspicere licuit,  
 harum conuentionum tabulae, quamvis plerumque  
 vnionis seu confoederationis, in perpetuum ini-  
 tiae 7) (Eynung, Verbundtnüs) nomine tantum in-  
 signiantur, nec vnionis hereditariae vox (Erbver-  
 einigung), saltim in antiquioribus, multum de-  
 prehendatur, in eo egregie conueniunt, vt defen-  
 sionem opeisque coniunctis viribus contra quem-  
 cunque ferendam in primis ponant, adiectis mox  
 aliis, pro tempore reique conditione, varii gene-  
 ris argumentis, vt de arbitris eligendis & diuersis  
 litium per eos componendarum modis, quae deni-  
 que procedente tempore copiosius omnia, pluri-  
 bus verborum & distinctionum ambagibus circum-  
 scripta, exponuntur 8).

Quod

pertor. des Staats- u. Lehnrechts v. Erbverbruedernng. KIND  
 I. c. §. 6.

- 7) Etenim sunt & defensionis foedera (vniones) ad vitae tem-  
 pus tantum composita, quae hoc sane non pertinent e. g.  
 inter Landgrauios Thuringiae & Marchiones Brandenburg. a.

1334 ap. GERKEN in Cod. Dipl. Brand. T. I. p. 139.

- 8) Quae ne temere dixerim, compara si libet quae praeter

Quod cum ita sit, iis assentiri nequeo, quibus persuasum est, sub conuentionibus hisce successionis legem semper subiectam latere, id quod efficitur cum ea, quam faciunt, verborum interpretatione & instituta exinde cum ganerbinatibus collatione 9), tum ea, quam souent, opinione, condominium successionis esse matrem: sed ut taceam, quod ad prius attinet, pari iure, ut demonstrauimus, voci huic sententiam perpetuitatis adstrui posse, posterius vero nondum extra omnem dubitationem positum esse; cum ipsum vniōnis hereditariae vocabulum in plerisque veteribus rerum gestarum monumentis vix reperitur, tum nec vola apparet neque vestigium verborum, quae vniōne tali coniunctos in terrarum communione vñquam

con-

confraternitatis pacta antiquitas iam initae sunt inter domum Saxon. Hass. & Brand. vniōnum hereditiarum seriem ap. MVELLER im Reichstagstheatro Max. I. P. 2. c. 25. p. 354 seq. & LÜNIG R. A. P. Sp. Abt. 4. Abs. 2. p. 77 & 118. de LVDEWIG Rel. Mscrpt. T. VII. p. 499 seq. GERKEN Cod. dipl. Br. T. VII. p. 246 seq. quarum quae mihi obuenere, in ea, quae 1537 inita est, vocem *Erbeinigung* primo animadvertisse mihi videor.

9) vid. RYDLOFF in alleg. diff. §. 1-3, qui voce „Erbe“, dominium intelligi vult.

constitutos, (condominos dicunt,) ideoque mutuae successionis compotes fuisse testentur 10): quid quod accedit, ut crebrae sint hereditariae vniones, quibus praeter mutuam defensionem & auxilium vtrinque stabilitum, unus insuper successionis particeps reddatur post alterius decepsum, altero plane a successione excluso 11), id quod iure fieri nequirit, si fundatum esset, quod viri eruditi hic finxere, condominium, quippe ex quo aequalia vtriusque iura esse deberent. Nec sententiae, pro qua propugnauit, obfusle crediderim, quod confraternitatis pacta inueniantur, vnionum hereditiarum nomine insigniri solita, quum partim ei, quae si-

mul

10) Nomen „ganerbe, gemeiner, minnam in huiusmodi conuentiōibus, sed plurimum in confraternitatis pactis usurpatum e. g. in literis, quibus Carolus IV. imper. pactum confrat. Sax. Haff. a. 1373 confirmavit „als ihren gleichen u. rechten miterben u. gemeineru“, ap. LVENIG R. A. P. Sp. Abt. 4. Abs. 2. p. 3.

11) Digna est, quae hic notetur hereditaria unio a. 1369 inter duces Brunsvic. & Luneburg. ab una parte & ducem Lauenburgensem ab altera inita, ap. RETHEMAYER Braunschweig. Chronik, Anhang u. Nachlese zu Th. III. c. 49. p. 1848 seq. breui infra adhuc explicanda.

mul inest, mutuae amicitiae tuendae opisque feren-  
dae promissioni 12), partim, eius ratione non ha-  
bita, latiori vocis sententiae supra expositae, debe-  
ri videatur 13), omissa quidem eorum opinione,  
qui rationem discriminis in inaequali partium con-  
ditione collocatam existimant 14).

### §. VI.

Dictorum ratione & ordine iam ad eos dedu-  
cor, qui leuem tantummodo differentiam inter pa-  
ctum confraternitatis & ganerbinatum sic dictum  
intercedere statuunt. Omissis vero, quae ad vocis  
huius vim enucleandam attinent omnibus scilicet

no-

12) Ex hoc quidem intelligitur ratio, ob quam, quo iuncti  
sunt dux Brunsv. & Luneb. & princeps Frisiae Oriental. 1691,  
fraterno foederi unionis heredit. nomen simul impositum sit,  
MOSERS Staatsrecht T. XVII. p. 136. §. 64.

13) Argumento est, quod inter comit. Wirtemb. & ducem  
Lotharingiae initum fertur confraternitatis pactum a. 1367  
ap. STEINHOFER Wirt. Chronik Th. II. p. 354.

14) Exempli gratia MOSER St. R. T. XVII. p. 156. §. 79. &  
qui eum sectatus est KIND I. c. §. 6. quorum quidem opinio,  
cuicunque contraria exstant exemplia, pactorum naturae & rerum  
argumentis repugnare videtur, quod ex parte iam animad-  
vertit celeberr. RVDLOFF I. c. §. 12.

notissima 1), aliisque de argumento hoc agitatis controuersiis, quae huc non pertinent, id vnum obserues velim, in quo verum signum ganerbina-  
tus & nota cernitur, primam eiusdem ac praeci-  
puam legem in certorum bonorum, in primis ca-  
storum, communione (seu condominio) ponit,  
quam nobiles defensionis iunctis viribus quoque  
modo praestrandae causa inire consueuerant, quo  
firmior esset coniunctio, quoque ab omni re para-  
tior. Priore quidem momento ab hereditaria vnio-  
ne, posteriore contra a confraternitatis pacto dif-  
fert, in quo prima spectatur successio; ad quod ac-  
cedit, quod raro, vel nunquam forsitan, quantum  
nouimus, vniuersa bona in ganerbinatum vocata  
legantur, ad partem eorum semper restringi foli-  
tum 2). Nihilominus denegare non ausim, & suc-  
cessio-

1) Vide SCHERZII glossar. med. aequi editum ab OBERLIN, voce  
Ganerben, cuius explicatio magis mihi arridet ea, quam  
amplexus est HALTAUS l. c. eadem voce, quippe qui minus  
recte successionem ipsi iam rei notioni immisset: Ganerbe  
enim in sensu proprio ac usitato nil nisi condominium signi-  
ficat, SENKENBERG in selectis iuris & historiarum T. III. p.  
489 in fine & p. 525.

2) Eximie totam hancce materiam tractauit omnibus potior ce-

cessionis in ganerbinatu rationem haberi, videlicet secundo loco 3), dummodo eam non primam ac praecipuam existimaueris, quae maximam vim ad societatem ineundam habuerit: quod reliquum est, utrum successio, licet nulla eius mentio facta sit, iam in ipsa terrarum communione 4) inter pacientes constituta ita contineatur, ut superstites in defunctorum consortium locum succedant, anne demum in tabulis de pacto inito confectis (Burgfride vocantur) successionis forma regunda sit, quaestione in utramque partem iam agitatam 5) hic denuo in medium proferre, meum non putauit 6).

### §. VII.

leberr. G. L. BÖHMER in egregio tractatu de iuribus ex statu Germ. militari pendentibus (Goett. 1749. 4.) c. 3. §. 4. seq. p. 72.

3) BÖHMER l. c. & IOH. AD. KOPP Proben des Teutschen Lehnsrechts P. I. n. I. §. 1. & 2.

4) Cuius enim seu condominii quae vis sit atque potestas inter Germanos successionis ratione, viri eruditii sumendum summa cura & diligentia exposuerunt e. g. celeberr. F. C. I. FISCHER passim in scriptis suis de successione inter Germanos visitata & I. I. REINHARD in deductione: die Gemeinschaft als ein Grund der Erbfolge u. einziger Grund der Lehnsfolge der Seltenerverwandten 1753 fol.

5) vid. REINHARD l. c. p. 159 seq. ibique not. 99 seq.

## §. VII.

Vix ac ne vix quidem quisquam crederet, alia adhuc inueniri posse iura aut instituta, cum eo de quo hic agimus, recte quodammodo comparanda: attamen non defuere, qui paclum, quod tantum in exspectatiua concedenda versatur, confraternitatem appellare haud dubitarent. Sed exspectatiuae natu- ram qui bene cognitam habet, is non ignorabit, eam non ex partium conventione 1), quam ea, cuius terra eidem subiicitur, cum altera, quae ea imper- titur, ineat, pendere, sed potius ex mero domini directi arbitrio, cuius est determinare, cui feendum, si sibi apertum fuerit, denuo tribuere velit, ideo- que & ius, ad idem in eundem casum acquiren- dum:

6) Exempla ganerbinatum fere ubique in veterum tabularum collectionibus nobis occurunt e. g. apud GVDENVM in Cod. Dipl. T. IV. p. 924 seq. SENKENBERG in select. iuris & hi- stor. T. II. p. 349 & 364. Plura quoque de hoc argumento congesit & differunt IOH. GEORG. ESTOR in Auserlesenen kleinen Schriften B. I. p. 39. B. II. p. 367. p. 395. p. 433. p. 528. p. 709 & 750 seq. B. III. p. 62 & 94.

1) IOH. AD. KOPP loc. cit. T. II. p. 294. §. 6. Celeberr. G. L. BÖHMER in principiis iuris feudalis L. I. Sect. I. c. XI. tot.

dum: quod & in feudis imperii locum habet, nisi quod ius imperatoris ea concedendi ob singularem rationem limitibus sit circumscripsum, quos ipsi excedere non licet 2), quos quidem, dum ad rem non pertinent, latius exponere, parum nobis expedit: quod restat, nec mutua sunt iura, neque constituitur ipsa successio, sed ius tantum ad eam olim acquirendam.

Longe alia est pactorum confraternitatis ratio, cuius praecipua differentia eo cernitur, quod ipsi pacientes, iure sibi inuicem succedendi alias carrentes, mutuae successionis ius sibi tribuant post alterius stirpem extinctam, in quo vnum & perpetuus morum iuriumque Germaniae tenor seruatur; nec vnum sine altero successionis fit particeps, sed paria sunt utriusque iura, quippe fraterno foedere iunctorum; tandem nec ius ad successionem olim acquirendam solum constitunt, sed ipsam reuera successionem, sanctissime tuendam sibi inuicem spondent, in euentum, si alterutrius stirps quondam extincta fuerit, petita insuper saepenumero ab imperatore nec non insecura simultanea terrarum ita promissa-

rum

2) BÖHMER loc. cit. §. 447. sq.

rum inuestitura 3). Quibus penitus perspectis, quam inaequalis sit vtriusque, exspectatiuae & pacdi confraternitatis, ratio atque conditio, & quo iure, vti plerumque fieri solet, hoc totum ex illa diudicetur, facile quisque intelliget 4). Mirum tamen, qui fieri potuerit, vt conuentio, cuius cum tota ratiō & structura, tum rei ibidem cōpositae denominatio plane diuersam ostendunt naturam, scilicet quae inter domum Austriacā & Wirtembergicā a. 1599 Pragae inita est, in pactorum confraternitatis nūmerū referretur, quod tamen factum esse scimus 5). Fusius rem exponere, meum non est, nec credo fore multos, qui nesciant temporis conditionem atque momenta, quae talia

fūase-

3) Comparā si lubet Caroli IV. imp. confirmationē pacti Sax. Hass. quam a. 1373 dedit ap. LVENIG R. A. P. Sp. Abt. 4. Abs. 2. p. 3. seq.: nec non inuestiture literas, quibus idem imperator Bohemiae principib⁹ ducibusque Austriae a. 1366 singulis alterius terras vicissim vt feuda imperii rogatus concedit ap. LVENIG R. A. P. Sp. Cont. I. 1 Forts. p. 61 sq.

4) MVELLERS R. T. Th. Max. I. Vorst. 2. p. 588. §. 19. n. 3.  
RVDLOFF in laudato tractatu §. 45.

5) I. I. MOSER im Staatsrecht T. XVII. §. 7. p. 15. & Familiēn St. R. T. I. p. 972. §. 3.

suaserint: sufficiat dicere, ne promissionem quidem successionis, nedum mutuae seu confraternitatis factam esse, sed potius Rudolphum, ut archiducem Austriae constitutam in conuentione Cadanensi 6) subfeudi qualitatem terrae Wirtembergiae remisisse, & ad damnum hocce compensandum exspectatiuam feudalem, in euentum si ducatus imperio apertus fuerit, sibi reseruasse 7), quae licet cum inuestitura euentuali simul coniungi & ideo exspectatiua qualificata fieri videatur 8), longe tamen

6) anno 1534. LVENIG R. A. P. Sp. 1 Abteil. von Oesterreich p. 27. seq.

7) LVENIG R. A. P. Sp. Cont. 2. 4 Abteil. 7 Absatz von Wirtemb. p. 742. Verba transactionis haec sunt: „dagegen haben wir uns die anwartschafft und succession dergestalt reservirt u. vorbehalten dass, wo berührt Hertzogthumb dem H. Röm. Reich fällig wurden, alsdann n. ehe nicht der Zutritt zu wirklicher Einnahm dem Hauff Oesterreich in Craft habender Anwartschafft eröffnet seyn solle. „

8) Verba sic sonant „haben wir uns ausbedingt, dass Oesterreich fürohin die Hertzogthumb Würtemberg u. Töckh so oft es von nöthen, jedoch allein zu Beweisung vorbehalter unverzügner Anwartschafft von heil. Reich zu lehen zu empfahlen haben. „

men a successionis pacto distat, id quod etiam alii iamdiu notarunt 9).

### §. VIII.

Expositis iam, quae ad vim propriam pacti confraternitatis rite describendam iustamque eius notionem formandam pertinent, nec, saltim non consulto, omisis, quae ad vera signa, quibus ab aliis similibus pactis discrepat, constituenda momenti quicquam habent, melius vix quae dicta sunt illustrari posse mihi persuadeo; quam si ipsas, ex quibus deponita sunt argumenta, rerum gestarum tabulas, quae pacta confraternitatis sic dicta inter illustres Germaniae familias inita complectuntur, quoad summam proponerem, ut magis inde pateret, quam parum circumspete hucusque versati sint viri docti in constituendis normis, ex quibus signa & notas pactorum confraternitatis diagnoscerent, & quam leuem in delectu eorum instituendo 1) rationem  
habue-

9) PFEFFINGER I. c. T. IV. p. 200. §. 82. not. a. n. 4. compara in primis celeber. SPITTLER in der Geschichte Württembergs p. 210 coll. cum p. 128.

1) Videsis e. g. quem PFEFFINGER I. c. T. IV. §. 84. lit. a. p.

habuerint literarum, e quibus ea depromerent, inspi-  
ciendarum. Quare cum de ratione, quam inirem,  
in principiis antea propositis ex ipsis tabulis accu-  
rate illustrandis, consilia agitarem, mecum statui,  
non omnes quidem sed tantum praecipuas in me-  
dium proferre easque cuim tales, quae fraternali fo-  
deris speciem p[re]ae se ferunt, nec tamen reuera eius-  
modi sunt; tum quae, licet talia forsan nonnullis  
non videantur, tamen ea esse probantur; & id qui-  
de[m] ita, vt primo breuem earum narrationem ex-  
ponerem, dein ex rebus tunc temporis gestis ra-  
tiones, foedus ineundi, explicarem, denique &  
ipsum pacti argumentum breui subiungerem: quo  
facto, & collatione omnium rerum sedulo institu-  
ta, vt facilius, quae mens fuerit pacifcentium, in-  
telligeretur quodque consilium, vtrumne, quo iun-  
cti sunt foedus, praecepsit, quae ex plurimorum  
concentu collegimus, accurate consentiat nec ne?  
Quod vero priusquam aggrediamur, iam reliqua  
ipsius tractatus capita, quo ordine sibi succedant,

sum.

217 seq. dedit pastorum confraternitatis indicem, qui quot  
erroribus scateat, primo obtutu quisque videbit, & MOSERS  
St. R. T. XVII. cap. 85. §. 3 seq.

summatis exponere admodum iuvat: scilicet quum de vera pacti notione ex rerum argumentis desumpta satis disputatum fuerit, dignum, ad quod in rerum exponendarum serie progrediamur, argumentum rationis videtur, pactorum confraternitatis origo atque principium, de quibus quae differuerint viri docti quum paucis recensenda putarem, eadem qua ante ingressus via, ut varias variorum pactorum rationes & causas ex ipsis eorum tabulis euoluendis rerumque gestarum monumentis introspiciendis erarem, elaboravi: quibus absolutis, ne nimis longus viderer, finem prolusioni imposui, reliqua ipsi commentationi reseruaturus. Et primo quidem hic exponemus de ipsa pacti confraternitatis constitutione, &, quae plerumque in eo tractentur, argumentis, vbi cum personarum quae eo iunguntur, tum bonorum quae mutuo promittuntur, est ratio habenda; inquirendum est, quid moribus institutis que patriis debeatur, quid peregrini sit iuris? vtrumne eadem semper fuerint, quae nunc sunt, quae in eo tractantur materiae, anne ratio earum mutationes subierit? vtrum unus & perpetuus pactorum confraternitatis seruatus sit tenor, ita ut alia prae-

ter

ter successionem proponantur capita, aine mutuae  
successionis lege condita omnia absoluantur? Ex-  
plicandum porro, quid ad successionem stabilien-  
dam atque tuendam accedat necesse sit, quae sit bo-  
norum communio, quis tituli & insignium usus;  
quid fides interposita proficit, quidque iuuet simul-  
tanea, quae nonnunquam accedit, inuestitura?  
Quae subditorum sit ratio, quid sacramenti dictio  
sibi velit?

Postquam pacientes sibimetipsi sic satis con-  
suluere, narratur iam, quomodo aliorum rebus  
prospectum sit; exponitur de subsidiis, quae cum  
filiabus tum viduis parata sunt; statuitur de aere  
alieno soluendo, & testamento, si quod conscrip-  
tum sit, sancte seruando; adiicitur tandem &  
mutuae amicitiae colenda promissum. Quibus de-  
pacti natura & argumento disputatis, ad ea deue-  
nimus, quae ad validitatem eiusdem spectant. Di-  
spiciendum tunc, quorum inprimis consensu opus  
sit ad fraternum foedus necendum, quidnam mo-  
menti habeat subditorum ordinumque prouincia-  
lium adsensus, quas partes dominus directus, im-  
perator & electores, in confirmatione danda sibi

depo-

depositant, quidque iuris leges imperii, in primis capitulationes, istis tribuant; denique etiam de iuriis & obligationibus ex fraterno foedere ducendis, quando successionis euentus olim extiterit, quaerendum erit.

Quae cum ita comparata sint, supereft, vt adspergamus quaedam de praecipuis subsidiis, quibus materia hanc tractaturus vtatur: & primo, quod ad scripta attinet 2), quae de argumento hoc, cum in vniuersum spectato, tum de singulis eius generis pactis exposuere, multum utilitatis quemquam ex iis capturum esse fere despero. Si enim recentiorum paucos exceperim, qui, sicuti rei dignitas expicit, diligenter & egregie reuera de ea commentati sunt 3), vix ac ne vix quidem vnum intuies,

qui

2) Recensum eorum vide apud celeberr. PÜTTER in der Litteratur des Teutschen Staatsrechts Band III. §. 1540. & MOSERS Staatsrecht T. XVII. p. II. §. I.

3) scilicet GVL. Avg. RVDLOFF in libello singulari de pactis successionis illustrum & nobilissimum Germaniae, speciatim iis, quae pacta confraternitatis appellantur. Rost. 1770. 4. & IOH. DAN. KIND & ERN. FRID. AD. L. B. de MANTEVFEL de viuibus hereditariis in Germania per iuriis manusum aevum utilitatis. Lipsi. 1785. 4.

qui partibus suscep̄tis satisfecerit, cum quia Romani iuris principiis, quibus imbuti sunt, nimio plus indulgent, tum quod pluribus pactorum tabulis attentius perlegendis, e quibus rerum argumenta recta depromerent ac sedulo illustrarent, supersederi posse, minus recte sibi persuasere. Igitur si quis progressus in argumento hoc explicando facere, aut, si non noui quicquam detegere, rem saltim penitus perspicere velit, ipsos fontes adeundo, ex quibus, quantum libeat, haurire licet, optime sibi consulet, quum tabularum de eiusmodi pactis saltem seriore tempore confecciarum inopia profecto non laboremus.

#### §. IX.

Quibus sic adumbratis, age vero, pergamus ad singula quaedam foederum exempla recensenda, quorum prima suggeruntur haec, quae plerumque pacta confraternitatis perhibentur, nec reuera talia sunt. Initium igitur faciamus, vti rerum gestarum ordo id postulare videtur, ab his quae ab aevo inde remotiōre originem duxisse feruntur. Sunt scilicet qui iam ineunte seculo XIV confraternitatis pactum inter Henricum Leonem, principem Mecklenbur-

gicum,

gicum, & Nicolaum VI. dominum de Werle a.  
1302. initum esse credant 1), quam ad sententiam  
probandum non ipsas, vt debuissent, pauci tabulas,  
sed literas tantum, quibus Nicolaus urbem Wisma-  
riam homagium sibi praestitisse testatur, adferunt.  
Sed quid quaeso opus iis fuisset eiusmodi pacto, cum,  
vti ex literis diligentius inspectis appareat, iure san-  
guinis iam quisque successionem in alterius terras  
merito postularet, nec, uti ob diuisionem feudo-  
rum in totum factam fieri solet, successioni conser-

van

1) de LVDEWIG in Reliqu. Mscrpt. T. XII. p. 491. & GERDES  
in der Sammlung Mecklenb. Urkunden p. 671. vbi dictas li-  
teras proponit, cuius haec sunt verba: „inter nos inuicem  
„confederavimus & compromisimus, — quod subditi nostri  
„vtrobique hinc inde nobis homagium facient, vt sic inter  
„nos mutua & debita charitas firmior perseveret .. Igitur ..  
„recognoscimus quod consules Wismarie, iuramento fidei  
„praestito nobis fecerunt homagium sub hac forma — si abs-  
„que herede prius nobis deceperit (Henricus) dominium suum  
„& ciuitas Wism. nobis cedet, *insto hereditatis titulo*, ple-  
„no iure. Si Nicolaus de Rozstock in dominio suo restitu-  
„tus fuerit — & huic unioni nostrae se adiunxerit, tunc  
„in tuitione vel hereditate domini Magnopol. portionem  
„quae sibi debetur de iure, una nobiscum percipiet. ,,

C

vandae per eiusmodi pactum demum prospicere debet? — Sed quia Nicolaus Rostochiensis incauto ac improviso animo regi Daniae nexus feudali sive iunxerat, & territorii partem reuera iam cesserat, metuentes illi, ne hic, si nec Henrico liberi masculi nati essent, terrarum partem sibi sumeret, conventionem inibant, qua ad tuendam & conseruandam terrarum Mecklenburgicarum hereditatem, quam iure nemo ipsis adimere poterat, subditos sibi in unicem homagio obstringebant; cuius & Nicolaum Rostoch. participem reddere volebant, simulac liberum terrarum dominium ipsis restitutum esset. Quadragesima duobus post annis, confraternitatis pactum inter Iohannem & Albertum fratres, principes Mecklenb., & Nicolaum ac Bernhardum fratres de Werle renouatum prohibetur 2). Cuius argumentum si perpendas, ita tantum eos inter se transegisse inuenies, ut denominatas quasdam urbes & castra

simul

2) Cuius a. 1344' initi tabulae exstant apud I. M. PÖTKER  
Sammlung Mecklenb. Schriften n. Urk. Stück 2. p. 22-25.  
n. 3 & 4, qui vero conventionis hereditariae (Erbvergleich)  
nomine tantum istud insignit. RUDLOFF in der Mecklenb.  
Gesch. T. II. B. I. p. 286. confratern. pactum appellat.

simul cum nobilibus sacramentum sibi dicere iubarent, & mortua vna parte sine heredibus, vxores sine impedimento vidualitio frui promitterent 3). Eiusdem argumenti sunt vtriusque paciscentium litterae. Mutuae successionis igitur, quippe quae ipsis dubia non erat, nulla sit mentio, sed rerum momentis temporisque conditione proprius consideratis, rationes pacis ineundi non absimiles his vindicantur: nexus aliquem feudalem inter principes Mecklenb. & Brandenb. domum intercessisse, certo certius est 4), nec non dominos de Werle in eundem antiquitus iam vocasse Brandenburgenses, in-

cer-

3) Verba praecipua haec sunt: „betügen dat wy myd gudeme  
 „Willem unde na Rade unser truwen Mannie hebben gede-  
 „ghedinget — were dat wy affingen ahne Erven, so scö-  
 „len unsre Wyff ere Lyffgedhinge besitten myd Vrede.“ Ad-  
 licitur demum mutuae defensionis promissio: „Vortimer, mit  
 „weme id usen Bolen scheler, des schölen wy weldig wesen  
 „minne edder Rechtes binnen veer Weckene: kunde wy  
 „des nicht don, so schölen wy en behulpen wesen mid gan-  
 „tzter macht.

4) Satis id probant tabulae, quibus Carolus IV. imp. a. 1347  
 terram Stargarten, ut feudum imperii, in Iohannem & Alber-  
 tum fratres confert, ap. GERDES S. M. U. P. II. p. 168.

C 2

certum quo iure, constat 5): sic quoque terrae Rostochiensis dominos directos se gesisse reges Daniae, exploratum est 6): nonne forsan eo, quo subditos sibi mutuo obstringebant sacramento, successioni cui, licet iure ipsis debitae, tot alii inhiabant, prospicere voluere, ut eo melius occurrerent iuribus, quae post unius alteriusue obitum alii sibi sumere possent? id quod magis mihi probare videtur pactum ab eodem Bernhardo & Iohanne filio de Werle cum Alberto Mecklenb. eodem fere modo a. 1377 factum, nisi quod illi terrarum omnium, quippe quas Brandenburgici principes praeципue affectabant, hereditatem, si sine prole mascula deceperint, diserte huic promitterent, vicissim vero vxorum viduantium conseruandum, filiarumque dotem constituerandam stipularentur, cuius ut & auxilii promissi firmandi causa subditorum sacramentum ab utraque parte

5) Posteriori quidem tempore nexum talis initum esse, neminem fugit, (id quod apparet e. g. ex conventione a. 1374 cum Carolo IV. inita ap. GERKEN in Cod. dipl. Br. T. II. p. 617. n. 368 & 369.) imprimis vero seculo sequenti, ab a. inde 1415.

6) RUDLOFF l. c. Th. II. B. I. p. 102 & 105 seq.

parte accedit 7). Meliori autem iure, quod a.  
1348 inter Iohannem & Albertum fratres, princi-  
pes Mecklenburgicos & Iohannem & Nicolaum fi-  
lium, principes de Werle, compositum est pactum,  
confraternitatis nomen mereri mihi videtur 8);  
etenim quum, ut audiuiimus, Carolus IV. terram  
Stargarten in feudum imperii euectum prioribus tra-  
didisset, posteriores, ut successionis terrarum, qui-  
buscum simul inuestiti non erant, participes fierent,  
fraterno se foedere illis iungabant, & ad ius suum  
stabilendum homagium a subditis inuicem praec-  
flandum curabant. Sequentis autem seculi anno de-  
cimo octauo (a. 1418) quod initum perhibetur  
confraternitatis pactum inter omnes principes de  
Werle ducesque Mecklenburgicos, litium compo-  
nendarum & defensionis successionisque mutuae con-

fir-

- 7) Tabulae hae exstant apud PÖTKER l. c. p. 26. n. VI. Ad-  
iecta in fine clausula „wenne wy unsen Veddern desse De-  
gedinge endeget hebben, so scölen see uns desse sulve Dege-  
dinge von Stunde an wedder endigen,, id tantum vult, vt  
si principes de Werle pacta haec impleuissent, tunc deum  
& altera pars conventioni satisfacere debeat.

- 8) Exhibet istud PÖTKER l. c. p. 26. n. V.

C 3

firmandae causa, in examen vocare dubito, quoniam tabulas eiusdem nondum inspicere mihi contigit 9).

### §. X.

Rerum ordo me dicit ad aliud, quod plerumque confraternitatis pactum dicitur, inter eandem dominum Mecklenburgicam & Brandenburgensem initum 1). Ex ea, quae antecessit, narratione manifestum iam est, nexus feudalem iamdiu, in primis vero ab anno inde 1415 inter principes de Werle & electorem Brand. intercessisse, cuius rationes fusius hic explicare non iuuat, nisi quod domesticis belli calamitatibus, quo principum Mecklenb. terrae vexabantur, praecipue eas attribuendas esse probabile sit 2). Eundem duodecim interieclis annis subiit Iohannes de Stargarten, ut redimeret se e captiuitate,

9) vide GERDES S. M. U. p. 145. §. 9. & RVDLOFF I. c. Th. II. B. 2. p. 576.

1) RVDLOFF in differt. alleg. §. 45. not. c. PFEFFEL nouvel abrégé chronol. de l'histoire & du droit public d'Allemagne, in indice adiecto pactum hoc in numerum confraternitatum retulit, vii & MOSER St. R. T. XVII. p. 108. §. 57.

2) MVELLERS R. T. Theatrum Friedrich V. T. I. Vorst. I. Cap. 13. p. 168, seq.

tate, in quam occasione belli inter ipsum & electorem Brand. orti inciderat 3). Quare cum stirpe principum de Werle a. 1436 proorsus extincta principes Mecklenb. terras eorum occupassent, atque Sigismundus imperator ordines prouinciales, vt electori Brand. obsequium praestarent, frustra diu modo iussisset, modo iuris via litem componere tentasset 4), sex denum post annis inter Fridericum II elect. Brand. omnesque principes Megapolitanos res omnis ita transacta est, vt ordines prouinciales Mecklenb. interposito iureiurando fidem promitterent, eo consilio vt si tota stirps mascula ducum exaruisset, omnes ipsorum terrae ad domum Brand., seruatis quidem earum iuribus, deuoluerentur, filiae vero superflites dote debita ac digna instruerentur: conuenit insuper, vt Brand. elector. vicissim iuriis, quaecunque sibi arrogauerat, sponte renunciasret & consilium auxiliumque illis polliceretur 5).

Eodem

3) MVELLER I. c. p. 180. seq. GERKEN in Cod. Dipl. Brand. T. VII. p. 161. n. 56. LVENIG R. A. P. Sp. 4 Abt. 3 Abs. p. 5.

4) MVELLER I. c. p. 182. & LVENIG I. c. p. 6.

5) Tabulas conventionis a. 1442 initae inuenies apud ANT.

Eodem anno cum vtrique pacientes Friderico III. imp. comitia habenti Francofurti ad Moenum pactum hoc confirmandum offerrent, hic adhibito principum imperii consilio non modo pactum illud comprobauit & consensu suo firmauit, sed etiam in euentum, si duces sine liberis masculis dececessissent, electorem eiusque heredes omnibus eorundem terris simul inuestiuit 6), subditosque fidem iis promissam seruare iussit: quae quidem euentualis inuestitura in sequentibus literis inuestiturae Brandenburgensis, adhibitis semper iisdem verbis, repetita legitur, nisi quod post Pacem Westphalicam obcessos in eiusdem art. XII. principatus, Suerinensem & Ratzeburgensem, & ad has terras successio euentualis extensa fit 7). Quae cum ita sint, quod

deum

FABER in der Europ. Staatskantzley T. XIV. p. 95. seq. lit. k,  
MUELLER I. c. p. 183. & LVENIG I. c. p. 7.

6) Verba, in confirmatione obvia, haec sunt „und den Marchgraven Ihr Erben u. Nachkommen *Lebenshaft darüber getan*“, vide FABER I. c. p. 110. & LVENIG I. c. p. II.

7) Verba, quibus literae inuestiturae ab a. 1487 vsque 1699 vtuntur, ita sonant „verleihen“ u. bestaetigen Wier — das *Angefell des Hertzogthums zu Mecklenburg*, quae quidem  
expe-

demum iure conuentio haec pacis confraternitatis  
a nonnullis adnumerari possit, merito quisque mi-  
rabitur, praesertim cum vel iidem auctores notio-  
nem eorum ita formare soleant, ut mutuae succe-  
ssionis legem, exstanta alterius partis prole mascula,  
praescribant. Ex ante dictis potius perspicuum est,  
omnem pacis huius incundi causam & modum attu-  
lisse temporum conditionem, cui ut inferuissent,  
ducibus Megapolitanis prudentia suasit, quippe dum  
a nexus feudali, ad quem elector Brand. successionis  
quondam melius obtainenda causa prouocabat, vix  
ac ne vix quidem se liberare potuissent, nisi quam  
arripuerant possessionem, eo modo stabilire stu-  
duis-

exspectatiuam fendalem cum investitura eneuntial coniunctam significare notauit iam, cum quo sentio, per ill. G. L.  
BÖHMER in Iure Feud. §. 174. n. a. Tabulae ipsae exstant  
apud FABER I. c. p. 115. lit. P. seq. & p. 139. lit. z. Plura  
circa successionem hanc ab a. inde 1693 inter utramque par-  
tem acta, in primis vero, quicquid de usu tituli atque insigni-  
gium, quibus utri coepere Brandenburgenses Marchiones a.  
1708, disceptatum est — quae omnia a proposito omnino  
aliena hic omitto — quomodo composita sint, videre licet  
apud FABER I. c. p. 145. seq. & p. 33 & 67. lit. a. & LVE-  
NIG I. c. p. 278 & 289.

C 5

duissent, ut dimissum nexus feudalem promissa successione, cuius metuenda nulla adhuc causa aderat, compensarent, nec tamen elector Brand. minori pretio, quam spe obtainendae tandem exoptatae istius successionis adductus, omni, quo hucusque galvus erat iure, se exui passus fuisset,

### §. XI.

Admodum dubito, fore quemquam, qui, quod a. 1433 inter comites Honsteinenses ab una & comites Stolbergenses & Schwarzburgicos ab altera parte initum dicitur confraternitatis pactum 1), quodque rectius ab aliis unilaterale, licet iniuste confraternitatis, vocatur 2), si argumentum accusatiū inspicerit, vlla pacti confraternitatis vestigia continere sibi persuadeat 3); potius temporis istius

trif.

1) MOSERS ST. R. T. XVII. p. 154. §. 75. & Fam. ST. R. Th. I. cap. 13. p. 1011. Author tractatus: Kurze jedoch beißige Deduction der Grafen zu Schwarzburg u. Stollberg wegen der Hohensteinischen Herrschaft Lohra u. Klettenberg (1671. 4.) promiscue modo Erbverbrüderung modo Erbvereinigung illud appellat.

2) RUDLOFF in diff. cit. §. 10.

3) Exhibet pauci exemplum, ut viderit, mendosum LVENTIG R. A. P. Sp. Cont. 2. Fortf. 2. Abt. 6. Abs. 21. p. 285 seq.

turbis ac calamitatibus commotos comites, suadentibus ordinibus provincialibus, hereditarium foedus, quo terrarum defensioni imtuuoque auxilio prospicerent, componere voluisse appareret 4). Postquam enim cum varios occasione belli illati adversus inimicos ferendae opis & commoda inde obtenta dividendi modos, tum litium inter se ortarum per electos arbitrios decidendarum rationes prolixius enumerarunt, denique addunt, se ad maiorem paci firmitatem atque constantiam, si sine virili stirpe decederent, comites Stollberg. & Schwarzb. ad successionem in terras denominatas, quatenus domini directi consensum impetrare valerent, vocasse, subditosque sacramento hereditario illis obstrinxisse; simul vero privilegia & iura eorum servanda atque tuenda stipulantur, & viduis sustentandis, filiabus & sororibus dotandis, prouident, adpersis denique aliis circa successionem plerumque

ob-

4) „dass wir betracht grosse anlangende Noth, die dannen von den Kezern lange Zeit getrieben u. auch mercklichen Nutz unser Land u. Luthen, — „Wir sollen u. wollen Ihnen u. sie uns wieder Sachen kegen jedermelchen getreulich behülfen u. gerathen seyn, nach aller Redigkeit u. besten Vermögen,“

obuiis 5). Tum argumenti enarrati ratio, tum verborum nexus & structura pactum hoc confraternitatis adpellari vetant, nisi, quia una pars alteri successionem spondet, & alteram idem in aliis forsan literis fecisse, coniicere velis, quod tamen prius probandum esset, quum tabulae propositae ad aliud eiusdem argumenti non prouocent. Nec verba, quae, dum debita bonis inherentia successores validia agnoscere iubent comites Honsteinenses, pronunciant, aliud quicquam valent, ac se idem servare velle, si ita res forsan euenerit, ut terra aliqua comitum Schwarzb. aut Stollberg. ad eos deuolueretur; minime vero mutua indigitatur suc-

ces-

5) „Haben wir vor uns u. unsern Leibes - Lehen - Erben zu  
„hauffe gesetzt erblich u. ewiglich - zu Stollbergk u. Schwartz-  
„burgk u. zu oiren Leibes - Lehens - Erben mit - Lora, Clet-  
„terbergk, Scharfeldt, Benkenstein, Elrich u. Bleicheroda  
„mit allen Zugehörungen - u. was wir *dis mit dem Leben*  
„*Herrn mögen - überkommen*, in solchernasse, wer ins daß  
„*wir ohne Leibes Lehenserbn abegingen*, dass dann die ge-  
„nannten Schloss - u. unsre Ohemen u. oire - Erben sollen semt-  
„lich gefallen, — u. auch alle Mannschaft Gotteshüess u.  
„Pfafheide, Stete, Borgere u. Gebure bey alle oire Friebey-  
„ten u. bey allen Herkommen *blieben lassen* — des zu be-  
„stetigen haben wir alle amblüthe unsren Ohemen eine rech-  
„te Erbhuldigung *läszen thun.*“

cessio 6). Anne vero seculo antecedenti tale foedus iam initum sit, maiori iure quaeri posset, quum tabulæ exsistent, in quibus Carolus IV occasione iuris iurandi feudal is a comitibus Honstein. & Schwarzb. ut imperatori & domino directo sibi praesliti, mutuam singulis, de imperio bene meritis, in alterius terram exspectatiuam tribuit 7); nec tamen sanctio haec foederis memorati occasionem praebuisse videtur, cum nullam eiusdem iniecerit mentionem. Quod reliquum est, quis pacti euentus fuerit, quaeque rerum in ipsa successione vicissitudines, dum nullius momenti hic sunt, relinquere licet 8).

### §. XII.

6) „Desgleichen wir u. uns Erben gegen Mannschaft, Borger „u. Dörffer, die von ein nff uns verstorben, u. gefiele, also „auch holden sollen u. wollen ohne Gefehrde.“

7) Literae hae, quae a. 1349 conscriptae sunt, existant ap. LVENIG in Spicilegio seculari T. 2. p. 1876. „Und thun „en besondere Gnade mit unser Königl. Gewalt, dass Günther u. Heinrich zu Schwartzburgh u. ihre Kinder des Heinrichs Grafen zu Hohenstein, u. Er ihr hinwieder rechte „Erben sein sollen, Feste, Land Lehen Erb u. Gut zu be-„sitzen und einer von dem andern Anefallen zu warten von „Todes wegen.“

8) Quibus pernoscendis qui studet, adeat MOSERVUM l. c. &

de-

## §. XII.

Ex eo, qui communis fere redditus est, errore, mutuae successionis legem in pactis confraternitatis ineundis non requiri, orta est quoque plurimum opinio 1), qui gentilitium pactum inter dominum Brandenburgicam & Zolleranam a. 1695 intuitu pro tali habendum esse credunt 2). Etenim principes Zollerani tantum Electori & Marchionibus Brand. successionem promittunt, nec vicissim hi illis quicquam spondent praeter titulum atque insignia, quibus Burggravii Norimbergici utuntur, gerenda, ita tamen ut nec iuribus domus Brandenb. & vel iuniorum principum, nec confraternitatis pacto Saxon. Brandenb. Hassiaco ullum inferatur detrimentum, ex quo quidem, nec successionem euentualem, ut quidam perhibent 3), in Burggraviatum Norimberg.

deductiones de hac re conscriptas ut & SCHEIDTS Annmerkungen zu Mosers Einleitung in das Braunschw. Lueneb. Staatsrecht p. 255.

- 1) MOSERS St. R. T. XVII. p. 116 seq. RVDLOFF in diss. cit. §. XI. & PFEFFEL Nouvel abrégé, in indice adiecto.
- 2) Exstant pacti tabulae ap. LVENIG R. A. Spicil. Sec. T. I. p. 349. seq. §. 5.
- 3) e. g. PFEFFEL I. c. T. II. p. m. 448. ad a. 1695.

berg. illis concessam esse, facile intelligitur: cum enim, ut fertur<sup>4)</sup>, recompensationem seu positus compensationem aliquam postularent Zollerani, responsum est, nullas hoc tempore Electori esse terras, de quibus libere statuere liceat. Occasionem vero ad pactum ineundum in primis deditur ea, quae a prima inde origine Zolleranis cum Burggraviis Norimb. intercesserat diuisio, nec, cum hi ad electoratum eueherentur, arcifior redditia coniunctio, nec, cum fraterno se foedere iungerent Hassis atque Saxonibus, mentio agnatorum illata, qui contra in pactis, inter se aequae ac cum aliis initis, electori & marchionibus Brandenb. nunquam consuluere. Mores denique communis originis sanguinisque quo tenebantur vinculi principes Brandenb., quum successioni futurae in terras Zolleranas impedimenta ab antiqua sejunctione repetita ne obicerentur metuerent, pacto, quo minus spe suauissima exciderent, impedire studebant; reuocabant communis stirpis memoriam, spondebant sibi inuicem mutuum auxilium ac defensionem, concedebant denique & Zollerani principes, si forte fine prole mas-

cula

4) MOSER I. c. p. 124.

cula decefferint, Brandenburgicis ius successionis ; quod consanguinitatem iam illis tribuere confitebantur, nihil vero, praeter quod dictum est, stipulabantur ; additis demum quibusdam de iureiurando subditorum, privilegiis eorum seruandis, alienatione terrarum prohibenda, vidualitio & dote, & quae sunt id genus alia.

### §. XIII.

Nec quod pacientes conventioni suae saepenumero indunt confraternitatis nomen, rei veritatem semper praestare, cum verborum ambiguitas, tum imprimis nominum in eiusmodi pactorum exhibitorum varietas iam docent : quare si in indole eorum diiudicanda succedere velis, argumentum & rationem accurate inquirere, & cum his, quae iustae notioni respondent, comparare debes. Argumento sunt pacta, quae inter comites Gleichenenses ab una & comites Hohenloicos, Schwarzburgicos, Christianum Schenck liberum Baronem de Tautenburg & comites Waldecenses ab altera parte uno eodemque fere tempore ab anno 1621 usque ad 1623 inita, & uno omnia die, quarto Iunii a. 1623, a domino

mino feudorum Gleichenium directo, Ioanne Casimiro duce Saxonico, confirmata sunt 1). E quibus ut unum, quantum sufficit, adducam, ei, quod fecere comites Gleich. & Hohenlohici a. 1621 die XXVII Aprilis, nomen ipsi imposuerunt confraternitatis, Ioannes Casimirus autem tantum successoris pactum istud adpellitat 2), idque iure, quia solus comes Gleichenis post mortem suam, si heredes masculi non superessent, successionem in terras suas alteris promittit, qui vicissim nil aliud spondent, nisi aeris alieni summam, 25000 florenorum scilicet, soluendam praeter funebres sumptus coniunctim a successoribus faciendos, & alia quaedam, quae ad feuda recipienda, Augustanæ confessionis doctrinas salvas seruandas, contractus atque legata implenda, filiasque dotandas spectant.

#### §. XIV.

- 1) vide MUELLERS Sächsische Annalen ad h. a. MOSER im St. R. T. XVII. p. 152. & 153. §. 71-73. omnes hasce conuentiones in indicem pactorum confraternitatis retulit.
- 2) LVENIG in Spicileg. Secul. P. I. p. 310. seq.

D

## §. XIV.

Sed omissis reliquis vel eiusdem vel similis argumenti pactis 1), quae quisque ex recensitis facile metiri poterit, iam de his dispiciendum esset, quae primo quidem obtutu confraternitatis pacta forsan haud videantur, licet reapse pro talibus sint habenda. Verum ne nimis longus sim, vnum tantum in medium proferam, quod ob nomen, quo insignitum est, vnionis hereditariae, forsan impugnari posset; intelligo pactum inter Eberhardum comitem

Wir-

- 1) Exempli gratia, quod inter dices Luneburgenses & Brunsvic. Wilhelmum & Magnum Torquatum ab vna, & ducem Lauenburg. ab altera parte a. 1369 initum fertur pactum, cuius non ipsae quidem tabulae, sed literae tantum vtrinque super pacto confecto datae existant ap. RETHMEYER Braunschwe. Chronik. Anh. p. 1848. seq. & PHIL. FRID. STRVBE in vindic. iur. Br. & Luneb. in ducat. Saxo - Lanenb. (Goett. 1754. 4) cap. 3. p. 41. §. 14. seq. revera tantum vno hereditaria sic dicta videtur, nisi quod ab vna parte successionis promissum adiectum sit. Nec rectius pactum, quod a Wenceslao duce Luxemburgico de ducatu suo, si stirps mascula exaruisset, in fratrem Carolum IV imp. eiusque heredes transferendo, initum legitur ap. LVENIG in Cod. German. diplom. T. I. p. 1389. seq. ad confraternitatis pacta a nonnullis refertur, cum tantum successionis, iure sanguinis iam debitae, promissum ab vna parte alteri datum continueat.

Wirtembergicum & Lotharingiae ducem Iohannem, sex annos post nuptias ducis cum Sophia comitis familia celebratas compositum 2), cuius integras tabulas mihi, licet plures scriptores perscrutanti, nondum inuenire contigit. Cuius si argumentum inspiceris, quod ad mutuam alteri promissam successionem post alterius sine prole deceßum spectat, veram confraternitatis speciem illo comprehendi non amplius dubitabis; nominis vero, quod praeterea pro quavis conventione in perpetuum valitura in sensu primo sumi, supra iam demonstrauimus 3), leuem tantummodo rationem habendam esse intelliges. Nec ex eo, quod in literis, quibus terra Wirtembergica in ducatum & feudum imperii masculinum effertur, post exsinctam prolem virilem, inter domania imperii referendum, iuribus domus Lotharingicae tam parum prospectum sit, contrariam rationem inferendam quisquam putaverit, quum conditiones, quae fraterno foederi forsitan adiectae, sanctioni eius-

mo-

2) Ut perhibet STEINHOFER Wirtemb. Chron. Th. II. p. 354.  
qui a. 1367. pactum initum esse refert.

3) in §. V.

modi locum dederint, plane ignoremus. Quis quaeſo contendere auit, domini directi ſive Caſtaris ſive regis Franciae conſenſum, cuius aſſequendi ſtudium duci Lotharingiae ab Eberhardo diſertis verbis iunctum erat, reuera infecutum eſſe, ſine quo tamen totum paclum omni vi ac robore caruifile, certo certius eſt? Nonne ipſe Carolus IV imp. rei ſuae ni- mis ſtudens, cui, vt Bohemiae regi, feudali partis ter- rarum nexu iam obligatus erat Eberhardus, paclio huic confiſcando impedimenta faltem mouere pot- erat?

Verum enim vero fatis ſuperque de notione paclii confraternitatis diſputauimus: progrediamur iam ad alteram ſpeciminiſ partem, originis eiusdem rationes paclis exposituri.

### Pars Posterior.

*Explicantur nonnulla de origine atque principio  
paclorum confraternitatis.*

### §. XV.

Quam paclum de his diſſeruerint viri docti, quaqueque diſſeruerunt, quam dubia ſint, quamque in-

infirma, quibus nituntur, argumenta, haud difficile cuique erit perspectu ex ipsis eorum scriptis: quo facilius ignoscendum putaverim, discessisse me a gravissima eorum sententia, quum in plane diuersam me rapiant argumenta, haud leuissimi momenti mihi visa, quae ex ipsis rerum gestarum tabulis diligenter perscrutatis collegisse mihi videor. Tantum non omnes viri summi in eo quidem conueniunt, quod vniuersitate dictum non denegauerim, originem paetorum confraternitatis explicandam esse ex veterum temporum turbis, cum, iuribus incertis, vi & armis ius quisque quaerere, acquisitum tueri anniteret; nisi quod pauci opinionem semel suscep tam magis excolare studuerint, additis nonnullis hisque sat speciosis argumentis. Turbidum tempus, innumera dissidia, nata inde bella priuata, pax publica ad hominum licentiam refrenandam vix unquam valens; inde principum aliorumque, qui pacis sanctionem tuerentur, consociationes, socii mox, qui quo arctius eo firmius jungerentur, omnia inter se participantes, terrarum atque bonorum consortes; quid mirum iam, quod communio (condominium, Ganerbschaft dicunt) successionem, cuius omnis

fons & origo inter Germanos habetur, mutua in sibi tribuerit? En mutua iam, quae adest, successio, ex condominio pendens; quid demum abest, quin pacta, in quibus mutua successio lex prima est atque summa, inirent, fratrum nomen inuicem induentes, quod seculo demum XIV factum esse dicitur <sup>1)</sup>).

Sed ut taceam, quae iam semel monui, ea, de quibus sic exponitur, foedera hoc in primis consilio esse iuncta, ut collatis viribus consiliisque se invicem contra incursus aliorum tuerentur, quod quo facilius adsequerentur propositum, castrorum communionem inibant; minime vero successionis, in qua vnicet paci confraternitatis ratio ponitur, nisi quod sponte a condominio profici sceretur, rationem villam habitam esse, quid quod iam alias moris Germanorum fuerit, ut terrarum confortes sibi inuicem succederent, quare non demum ad confociationes istas, ex quibus ratio illustretur, recurredum videtur; et hoc exploratum putauerim, mutuae successionis pacta actate non inferiora videri istis foederibus; quidni ergo eodem iure, quo illi,

in-

<sup>1)</sup> RVDLOFF in cit. diff. §. 1-4.

inverso ordine colligerem, Germanos, qui per pacta successionem in alterum deferre consueuerant, quo firmius ea constarent, id egisse, ut terrarum, in quas mutuo succederent, consortes ac condominos se constituerent. Et sane si dicendum quod res est, vero admodum congruere mihi videtur, Germanos, quos in hoc, quod successionis pacta inirent, non nisi mores institutaque vetera, ad naturae praecepta admodum accommodata, secutos esse notissimum est, perinde ac unus in alterum pacto successionem transferre solebat 2), & mutuam sibi successionem impertiisse, propterea quod vel seculo XIII. iam, saltem inter nobiles, eiusmodi pactorum exempla inueniuntur, licet confraternitatis nomine nondum insignita, quod nihilosecius in antiquitate quaerendum videtur, cum arctissimo amicitiae aut cuiusvis communionis vinculo nexos fratum nomen sibi indidisse,

2) *Idem* l. c. §. 5. KOPP Proben des Teutschen Lehnrechts T. II. p. 294. §. 6. generof. DE SELCHOW in elem. Iur. Germ. §. 623. FÜRTHERS Beiträge zum T. Staats- u. Fürstenrechte B. II. Abh. 29. *Idem* in egregio tractatu de normis decidiendi successione famil. illustrium controversam. Goett. 1757. 8.

disse, societatemque fraternitatem appellasse, neminem lateat: dolendum modo, exempla ad nos non peruenisse. Rationem vero vniuerse spectatam, si inquiras, ob quam procedente tempore illustres in primis Germaniae familiae ita se iunxerint, in incertis ac ambiguis, quibus successio regebatur, normis ponendam esse, temporum conditio fidem mihi facit. Eo usque enim eius ratio turbata fuit, ut magna saepenumero, vel inter ipsos cognatos, dissidia de principatu obtinendo orirentur, nec hi, postquam ipsi de re conuenerant, ab aliis vel plane diuersae stirpis tuti essent, quin saltem partem terrarum debiri sibi contenderent: quo melius igitur terrarum saluti consulerent, nec respublica detrimenti quicquam inde caperet, litigantes ita rem transegere, ut fraterno se foedere iungerent, quo suas quisque terras post prolem extinctam alteri sponderet. Componebantur ita multa dissidia & vel bella, ob successionem gesta; prospicabant sibi eodem modo familiae, per longum tempus eatenus iam sciunctae, ut successionem in alterius quisque terras vix affectare auderet. Modo & is erat rerum status, ut quis ab altero in clientelae nexum vocaretur, cu-

ius

ius grauissimum iugum subterfugere amitens successionem alteri promittebat; procedente demum tempore re ita immutata, ut vicissim eandem stipularetur in terrarum alterius partem. Mox terrarum situs, infirma vnius progenies, callidissimum alterius ingenium arte persuadendi admodum pollens & magna semper affectans, id effecerunt, ut mutuae successionis pacta componerentur, mox & sola amicitia, quae inter vtrumque intercedebat, confraternitatem suasisse probabile videtur. — Iam vero si in ipsum initium pactorum confraternitatis inquirere velis, eo res redacta videtur, vt vix ac ne vix quidem certi quicquam explorari hic posse confidam, cum ipsae rerum gestarum tabulae per rariora, quae suppeditant, exempla nos parum adiuuent. Nec ideo ea antiquitus iam in vsu suisse denegauerim, cum ne causam quidem videam, ob quam post hereditarias vniiones ea reiiciamus: etenim ut omittamus de originibus pacti Saxon. Hass. Brandenb., vbiiore quondam commentatione amplectendis, hic aliqua differere, quippe quas, aliter ac alii volunt, annum 1373 aetate superare mihi persuas-

deo

D §

deo 3); & priore iam seculo, ni fallor, pacta inita legimus, quae licet nec confraternitatis nomine notentur, nec plura postea in iis constitui solita complectantur, tamen ob conditam mutuae successionis legem inter ea referre non dubitamus 4), quare & alia eiusdem argumenti existare, non sine iure crediderim. Quibus ita expositis, si qui forsitan me nimis a vero aberrasse putent, considerent velim, me aliorum exemplum secutum, rem talem, qualem animo concepi, tantum proponere, nemini vero pro certa ac indubia obtrudere voluisse, aliorum iudicio relictum, ut vera a falsis discernerent, dummodo non omni argumento substitutum fuisset me intellexerint: ad quod magis probandum iam

id

3) I. G. HORN genauere Untersuchung des wahren Ursprungs u. Anfangs der Sächs. Hess. n. Brandenb. Erbverbrüderungs-pacten in SCHMINKII monum. Hass. T. III. p. 9-116. & de LVDEWIG in Relig. Mscrpt. T. IX. p. 679. & 680. ibique tabulas a Ludovico Bauaro a. 1329. Papiae datas.

4) Vide e. g. Codicem epistolarem Rudolphi, opera MART. GERBERTI in auctario diplomatico p. 206. n. VI. vbi tabulae existant, quae mutuae successionis pactum a. 1283 compositum produnt, quod, licet nomine confraternitatis carens, eidem tamen omnino aequiparandum videtur: & MOSERS St. R. Th. XVII. p. 153. §. 74.

id mihi est negotii, vt ad argumenta, quibus sententiam meam firmaui, e tabulis, ex quibus ea recte desumpta videntur, diligentius illustranda accedam.

### §. XVI.

Inprimis quidem pactum confraternitatis inter Austriacos duces regesque Bohemiae initum dignum mihi videtur, cuius breuem exponam historiam, cum ob initium de quo disceptatur, tum ob rationem, quibus originem debet, varietatem & nemum. Affectabat iam Ludouicus Bauarus inde a regni sui initio Imperii partes, quo hoc imminueret, domum amplificaret: sic comitatu Tyrolensi a 1342 usurpato, flirpem Luxenburgicam non minoru volutantem, Iohannem scilicet ac Carolum filium, inimicos sibi reddebat: alterius quisque vires atterere studebat atque debilitare, quo magis ipse subinde eucheretur, media inter utrumque flabat Austriaca domus, aequas lances feruare cupiens. Capessenti demum regni habenas Carolo IV. renitebantur Boici principes, &, qui imperium appeterent, aduersarios ipsi parabant. Idem rerum augendarum studium suspectum reddebat Carolum vi-

cinis

cinis omnibus & vel ipsius genero Rudolpho IV. Austriaco, quem, maiorum exemplo, cuicunque iuri, quo quam terrarum suarum partem vindicare posset, a. 1360 renunciare defensionisque foedus secum inire aegerat. Sed belli sibi mox inferendi fama commotus Rudolphus cum Ludouico Hungariae rege fraternum foedus iungebat, quod ita Imperatorem irritauit, ut ope promissionis ab electoribus factae Austriacam domum a successionē imperii in perpetuum arcere tentaret. — Mutabantur mox tempora, mutabatur quoque Caroli consilium: vindicabant enim Austriaci duces post mortem Mainhardi a. 1363 comitatum Tyrolensem, licet repugnarent Bauariae principes, bellumque inde mouerent, quod Carolus non modo aequo animo ferebat, sed & inueterato odio & cupidine imminuendi domum Bauaricam ducitus comitatum Tyrolensem, ut imperii feudum, solenni ritu ducibus tradebat; quo facto, reconciliati illis ac Ludouico Hungariae regi, quin & confraternitatis pactum a. 1362, cum illis inire, duobus post annis studi renouare spe prospere euentus adductus ob deficientem adhuc prolem domus Austriacae, ita ut renun-

renunciante Ludouico omni suo in Austriam iuri,  
 Bohemiae principes post exitum stirpis Austriae,  
 nullo iam praeente, successione potiri posent.  
 Simil multo melior Carolo se offerebat occasio ad  
 imminuendam domum Bauaricam: felicet interce-  
 debant Ludouico Romano & Ottoni, Marchioni-  
 bus Brand. inimicitiae cum fratribus, ducibus Baua-  
 riae, a diuisione feudorum per mortem Mainhardi,  
 Ludouici senioris filii, apertorum profectae, quare  
 cum adiissent Norimbergam a. 1363, persuadebat  
 iis imperator tempori inferuiens, ut successorium  
 pactum inirent cum tota sua familia, vi cuius, con-  
 sentiente Carolo ut domino directo, coniuncta ma-  
 nu in feudum recipiebant Wenceslaum ac Iohan-  
 nem, marchionem Moraviae, hoc consilio vt  
 eueniente eorum morte sine sexu virili, successio-  
 nis in Marchiam capaces eos redderent; quod qui-  
 dem pactum eodem adhuc anno confirmauit impe-  
 rator, accendentibus literis consensus electorum.

Quibus quidem expositis diligentius consi-  
 deratis, facilius intelligitur, quam inania sint  
 eorum studia, qui altius & ab eo tempore, quo  
 Habsburgica stirps Austriae imperare coepit, ini-  
 tium

tium confraternitatis inter illam & Bohemiae reges initiae repetere audent. Quae enim a. 1277 & 1281 initia perhibentur pacta 1), cum tabulae eorum partim deficiant, partim quae proferantur, plane alias sint argumenti 2), tam dubia & incerta sunt, ob meras scriptorum assertiones fluctuantes atque ambiguas, ut eadem in recensum vocare, vix operae pretium habeam: nec fane maiori nititur fide, saltem si successum respicias, & melioribus argumentis, quod a. 1306 compositum fertur fraternum foedus inter Austriae duces regesque Bohemiae 3), cum, quae ad veritatem eius probandam adferuntur scriptorum narrationes, nil certi exprimant, sed rem potius in medio relinquant 4). Quare laterem profecto lauant, qui ex tabulis, in quibus Austriae duces Leopoldus & Rudolphus, quocunque sibi ar-

roga-

- 1) MELCH. GOLDAST de regni Bohem. iuribus ac priuili. comm. edit. a SCHMINK T. I. Lib. 6. c. 18. p. 1152. & MFSERS St. R. T. XVII. p. 13. §. 3.
- 2) LAMBACHERS Oesterreichisches Interregnum §. 159. p. 207 & Beilagen n. 74.
- 3) M. I. SCHMIDTS Geschichte der Deutschen, B. V. p. 124.
- 4) Videſis verbi cauſa GERH. DE ROO annales rerum ab Austriaſ gestarum ad diſtos annos.

rogare possent ius vindicandi vel Bohemiam vel Morauiam, vel totam vel pro parte, sponte relinquunt 5), causae suae argumentum eruere opinantur, cum non omnia demum iura ex uno fonte, scilicet mutuae successionis pactis, duci certissimum sit. Primum igitur, quantum quidem certo sciimus, fraternalum foedus a. 1364 initum inuenitur, quo iuncti sunt Carolus IV. imp. & Austriae duces Rudolphus eiusque fratres; cuius licet alia ratio, ac quam rerum antea narratarum ordo & necessitudo prodidere, in ipso initio declaretur, videlicet propinquitas pacientium, huic tamen non tam anxie inhaerendum esse puto, quia Carolus ingenio nimis indulgens, dum veri speciem semper prae se ferebat, consilia sua falsis rationibus velare confueuerat 6). Sed cum constituta ibi mutuae successionis lex spem eius nimis differret, & post Ludouicum Hungariae regem, qui exstincta stirpe prin-

5) GOLDAST l. c. in append. p. 47. n. 27. & p. 107. & LVENIG in Cod. gerin. dipl. T. I. p. 1238. n. 222.

6) LVENIG R. A. P. S. Cont. I. I Fortsetz. §. 44. p. 54 sec.  
 „sintemahl wir Banden halber von Natur u. der Geburt sipplich zu einander gehören.“

principum Austriacarum ob anteriora foedera Carolum anteibat, eum reiiceret, id ipsi amittendum erat, vt impedimentum hoc amoueret, quod ita prospere cessit 7), vt duobus interiectis annis, aliud componeret pactum, quo Ludouico prorsus excluso, successionem sibi soli seruaret, & sua cuique pacto confirmatio a Caesare quoque statim subnexa legitur 8): denuo & primo post hoc seculo ineunte, a. 1404., breuiter eodem modo inter eos est pactum 9). Quorum pactorum argumenta si pauclo attentius perlustraueris, haud parum ea quoad summam rei inter se differre obseruabis; quod enim ad duo priora attinet, vt minora omittantur, praeter quod adductum iam est discrinem, in eorum secundo multo circumspecius libi cauit Carolus IV. imp., pacificando exempli gratia, ne suos cuique liberos, altero dissentiente, despondere licet, adiiciendo praeterea, quae primo non incrant, plures alias conditiones. Postremum demum pa-

ctum

7) PELZELS Geschichte Carl. IV. T. II. p. 767.

8) LVENIG I. c. p. 56. 60 & 61. & P. Sp. Cont. I. 1 Abt. 2 Abs. p. 567. & GOLDAST I. c. T. II. p. 246.

9) LVENIG in Cod. Gerin. Diplom. T. I. p. 1415, n. 339.

etum hoc praecipui habet, quod quae in utroque priori ad feminas quoque extensa erat successio, angustioribus hic terminis circumscripta ad filios reuocata sit, ita ut, stirpe tantum mascula in una alteraue domo exstincta, licet filiae adhuc superstites sint, altera iam in eius locum succederet.

### §. XVII.

Non minus notatu dignum est successorium pactum, quod inter eandem licet familiam, Ludouici Bauari filios, initum, tamen pacti confraternitatis nomen omni iure mereri videtur 1). Ex quo scilicet Ludouicus IV. imp. filio Ludouico seniori Marchiam Brandenburgicam tanquam feudum imperio apertum tradiderat, id magnopere agebat, ut & aliis filiis suis dominium eiusdem acquireret, quibus quamuis sanguinis nexus & pacta familiae optimum ius tribuerent, possessionem terrarum Bauari-

carum

1) DE LVDEWI<sup>G</sup> Rel. Mscrpt. T. X. p. 641 sq. & MOSER Fa-  
mil. St. R. T. I. p. 973. §. 4. a. ita istud appellant: Celeberr.  
GERKEN in Cod. dipl. Brand. T. I. p. 124. n. 60. pactum mu-  
tuae successionalis inscripsit.

carum a maioribus sibi relictorum post alterius stirpis decesum arripiendi, nouo tamen hic opus erat fundamento, in quo tutius collocarent ius, in terras modo a fratre acquisitas olim succedendi. Adduxit denique imperator filium seniorem, ut pacatum cum fratribus iniret, in quo, si sine filiis decederet, Marchiam cum omnibus eo pertinentibus illis obuenturam esse, promitteret 2): idem repromisérunt fratres ratione Bauariae 3), praefectis insuper in paci testimonium pecuniae summae singularis annis vtrinque praestandam, subditisque sacramentum dicendum iniungunt, denique & filiarum doti prospiciunt. Interiecto quadriennio de novo idem vtrinque paciscuntur, nisi quod Ludovico seniori, diuisionis forsan instituenda ratione, fratres commoda quaedam largiantur, viduarum

rebus

2) Verba extant ap. FISCHER in den kleinen Schriften B. II. p. 4. lit. b. „machien u. schaffen unser Land -- ob wir one „Söne versuhren u. abgehen, so sollen sy u. ir Sone erben -- „lediclichen, u. sezen sy - in des Landes Nuz u. Gewald, „Nuz u. Gewere bey lebendigen unserm Leib. „

3) Extant tabulae ap. DE LVDEWIG Rel. Mscrpt. T. X. p. 64I. seq. & GERKEN Cod. dipl. Brand. T. I. p. 124. n. 60. cuius fere eadem sunt verba.

rebus prouideant, omnibusque viribus sibi iniucem opem ferre promittant 4). Singula quoque pacta imperator consensu suo statim munivit & simultaneam inuestituram a pacifcentibus enixe rogatam rursus iterumque concessit, quo magis inde stabiliretur pactum & in aeternum firmaretur 5). — Exposito iam pacti arguento, si rationem eiusdem & verborum vim diligentius consideremus, dubium vix cuiquam, credo, veniet, vtrum pro confraternitate habendum sit illud, nec ne? Etenim vocabulum licet ne semel quidem in eo occurrat, nec qui vnionis hereditariae nomen ei indiderint, desint 6), res ipsa tamen satis docet, nisi notionem semel acceptam relinquere velimus, nil aliud nisi confraternitatis pactum hic intelligi voluisse pacifcentes,

ad

4) DE LVDEWIG I. c. p. 648. Datae sunt literae Francofurti a. 1338. vigilia sancti Viti.

5) DE LVDEWIG I. c. p. 644. GERKEN in Cod. dipl. Brand. T. I. p. 121 seq. n. 59. Verba sunt „ze einer steten Sicherheit — so vorlichen wir — ze gesamter Hant die vorgenante Lant.“ Confirmatio a. 1338 a Caesare data inuenitur ap. FISCHER I. c. B. II. im Urkundenbuch n. I.

6) e. g. FISCHER I. c. B. II. p. 4:

ad quam magis firmandam simultanea vſi ſunt in-  
veſtitura, quam & aliis huiusmodi pactis eadem  
ob cauſam ſaepe numero adiectam eſſe, plura rei,  
quam quae adferre lubet, teſtantur monumenta.

### §. XVIII.

Originem paſtorum confraternitatis & cauſam  
in litibus a ſucceſſione terrarum profeſtis, bellis-  
que inde geſtis, quae ita demum componebantur,  
nonnunquam quaerendam eſſe, argumento eſt con-  
ventio inter domum Brunsvicensem & Aſcaniam  
Electorum Saxoniae ſtiprem a. 1389 de mutua ſuc-  
ceſſione inita, qua iuicem ſtipulabantur, vt, fi  
forſan alterius gentis ſtipps maſcula defecerit, ſu-  
periles in omnes eius terras ſuccederet 1). En bre-  
vem eius historiam! Wilhelmuſ dux, ſtipps Lu-  
neburgicae antiquioris poſtemus, cum prole ma-  
ſcula carens duas tantum haberet filias, natu maio-  
rem Ottoni, Saxoniae duci, in matrimonium dedit,  
minorem Ludouico agnato Magni Brunſvicensis fi-  
lio,

1) Tabulae paſti exſtant apud RETHMEYER in der Braunschw.  
Chron. P. 3, cap. 51, p. 682, & in Orig. Guelſicarum T. IV.  
in praef. p. 42, & 43.

lio. Prioris filium Albertum; praeterita domo Brunsvic., heredein sibi sumfit, quam sententiam non modo firmavit Carolus IV. imp., sed & eo extendit, vt omnes alias Saxoniae duces ad successio- nem ducatus Luneb. vocaret. Cuius consilii cum mox poeniteret ducem & ipse ad sedandos subdito- rum motus in diuersis literis terrarum Luneb. suc- cessionem Ludouico Brunsvicensi promitteret, Ca- rolum IV. tamen, quo minus legi semel latae in- haereret, impedire non potuit, quippe qui, quum Wilhelmus post obitum Ludonici generi, Magno Torquato, eiusdem fratri, successionem deferret, ac homagium a subditis praestandum curaret, vtrum- que proscriptis 2), & repetita inuestitura successio- nem Saxonibus seruare tentauit. Postquam de- dum Wilhelmus (a. 1368) diem supremum obie- rat, bellum inde natum est diuturnum & graue, cui post varia rerum discrimina, spatio viginti an- norum intericto, finis deum impositus est, re- ita inter Fridericum, Bernhardum & Henricum,

Tor-

2) Sententia qua adiudicatur Saxoniae duci terra Luneburgensi  
fis adeat ap. DE LVDEWIG in Rel. Mscrpt. T. X. p. 66 seq.

quati filios, ab vna & Rudolphum, Albertum & Wenceslaum ab altera parte transacta, vt Saxones totum ducatum Luneb. cederent Brunsvicensibus, Fridericus vero & Bernhardus Wenceslai filias in matrimonium ducerent; cui conuentioni tandem & hae mutuae successionis literae adiectae sunt, vt quae confecta erat pax, firma esset ac stabilis, nec Saxones, quam tamdiu fouerant, dulci spe succedendi semel & in totum excidisse viderentur. Nec, **exstincta Ascania electorum Saxoniae stirpe a. 1422**, nullam iurum Brunsvic. rationem habitam esse, miror, quum, vt alias rationes omittam, dubitari adhuc possit, an ordinum prouincialium consensus interpositus, Caesarisque confirmatio adhibita sit: priores vero quas partes in successionis ordine determinando sibi sumferint, cum ex tota litium serie appareat, tum in primis ex pluribus literis, quibus partim Wilhelmus hereditatem agnatis se relieturum promittit, partim Ludouicus & Magnus Torquatus frater iura ac priuilegia ordinum prouincialium, si ducatum Luneb. nanciscerentur, facta tecta se conseruatuos spondent 3).

### §. XIX.

3) *Orig. Guelf.* T. IV. in praef. p. 24. not. p. p. 27. n. r. p.

## §. XIX.

Praecepti memores, nomen non semper ad rem definiendam facere, hereditariam sic dictam vniōnem inter Brandenburgensem domum & Pomeranicam initam, cuius originem & principium, ob varias, quae de iis habentur, opiniones, breui hic exponere iuuat, pactum confraternitatis appellare haud dubitamus, id quod & ante nos ab aliis iam factum esse, libenter obseruauimus 1). A seculo inde XIV certum terrarum tractum a Marchionibus Brandenb. in nexum feudalem vocatum, a Pomeraniae ducibus stirpis Stetinensis contra, liberum sibi assertum, mox ad varia dissidia bellaque inde gesta, mox ad pactiones pro temporis rerumque vicissitudine factas ansam dedisse, licet caligine plura adhuc obuoluta sint, nemo est qui plane ignoret. Secundis rebus, Pomeraniae duces modo grauibus vinculis se exuebant, Brandenburgici vero principes spem quondam succedendi, eo quod Pomer-

niam

1) PFEFFINGER in Virr. ill. T. IV. p. 218 &amp; 226. MOSERS St.

R. T. XVII. p. 112. §. 58. Fam. St. R. T. I. c. 13. p. 998.

§. II.

niam soli imperio subesse confitebantur, se lucratos  
esse gaudebant; modo aduersis, illi nexus feudali  
se obstringi patiebantur & dominium horum dire-  
ctum agnoscebant, dissoluto mox foedare eadem,  
qua percussum fuerat, celeritate. Exstant plura eius-  
modi foedera ab a. 1338, quo Ludouicus Bauarus,  
comitiis Francosurti habitis, totam Pomeraniam im-  
perio solenniter vindicabat, eiusque nomine duci-  
bus addicebat 2). Sed iamdiu duces, in primis  
ex quo coniuncta manu gaudebat elector Brandenb.,  
vi cuius, extincta stirpe mascula principum Po-  
meraniae, omnium terrarum compos siebat,  
hoc idem frustra intenderant, ut ille promissum

sibi

- 2) Notata dignissima sunt foedera, quae a. 1472 urbe Prentz-  
lovv, a. 1493 Pyritz & 1529 Grinnitz inita legitimur & ab  
imperatore confirmata, quorum in priori, cuius epitome ex-  
stat ap. MVELLER R. T. Th. Friedr. V. Vorstell. V. c. 16. p.  
511., Pomeraniam in duces ut feudum Brand. confert elec-  
tor Albertus, in duabus posterioribus vero, remisso feudali  
nexus, non solum expectatiuum in totam Pomeraniam sed &  
simultaneam inuesitiram nanciscitur, de quibus vide GADE-  
BVSCH, virum de patriae historia & ieribus optime meritum,  
im Grundris der Pommerschen Geschichte p. 137 & 151.  
coll. cum 114.

fibi datum aequali compensaret, quia ob pactum confraternitatis Saxon. Hassiacum, quo omnes terae eius adstrictae erant, quod illis reponeret non habebat; nec tamen incepto destiterant, usque dum voti damnarentur a. 1571, quo principes Brand. amicitiae augendae causa, consentientibus agnatis, fraternoque foedere iunctis, certum terrarum tractum, si stirps sua mascula exaruisset, in perpetuum ad Pomeraniae principes deuoluendum esse paciscebantur, quod tribus post annis confirmabat Maximilianus II. imp. consentientibus electoribus 3). Verba vero conuentionis licet ad confraternitatis pacta adhiberi solitis non semper respondeant 4), & confraternitatis nomen ne semel quidem reperiatur, tamen cum alia verba hic obuia tum praecipue ipsa, qua successionis lex continetur, formula, eiusdem cum illis tenoris esse videntur.

3) Parti aequae ac confirmationis literae exstant. ap. DAHNERT Sammlung Pommersch. Landsurk. u. Confit. B. I. Abt. 2, p. 70 seq. LVENIG R. A. P. Sp. Abt. 4. Abs. 3. p. 65 sq. & in LIMNAEI Addit. ad ius publ. L. IV. c. 8. n. 175. p. 621. sq.

4) Sic saepe dicunt „Anwartsung, Angefälle, gesamte Lehen schafft, „

tur. Evidem sic sentire haud dubitauerim, partim ob constitutam vtrinque successionem mutuam, quae prima semper eorum est conditio, partim ob multas alias paſſim obuias verborum aequae ac rerum similitudines ex diligenti eius cum aliis pactis instituta collatione mox manifestas. Modo existimes caue, me, aliorum exemplo 5), originem & initium conuentionis inde ab anno 1338 vel altius iam repetere, quo, ut ex ante dictis patet, cum Pomerania in libertatem a nexu feudali principum Brandenburgensium vindicaretur, nil nisi futura successio ab imperatore hisce concedebatur ad datum, quod inde acceperant, resarcendum 6): dein vero ex variis hinc inde ob eundem nexum denuo

5) PFEFFINGER I. c. p. 218.

6) Id quod luculenter illustrant literae a Ludonico imperatore datae „in Franckfurt in vigilia assumptionis beate virginis „vt Ludovicus & Marchia Brandenburgensis aliqualem reci „piant recompensam, ordinauimus cum voluntate Ottonis „& Barnimi & edicto censemus, quandoconque dictos duces „filiis legitime descendentibus discedere contingit, quod „tunc principatus, quos tenent, ad Ludouicum s. heredes „libere deuoluantur & remaneant, quas vide in Greinir (de Nettelbla) oder Nachleſe von alten u. neuen Abhandl. u. Urkunden St. III. p. 110. seq.

denuo obortis litibus initium mox, mox incrementum cepisse studium principum Pomeraniae, ita sibi prospiciendi, ut vicissim in aequalem terrarum Brand. partem succederent, quod tandem post variis labores rerumque discrimina asecuti sunt, sedulo inuestigando quisque mecum intelliget. En nouum, ut quidem videtur, documentum, quam multae sint causae, quam varia momenta, quae talium, quales noc hic tractamus, conuentionum, occasionem praebere potuerint!

### §. XX.

Singularis sane, quae est, ratio & origo fraterni, vt dicitur, foederis, quo a. 1554 iuncti sunt duces Saxonici, stirpis Ernestinae, & comites Hennebergici, quodque eodem anno a Carolo V. imp. approbatum legitur, meretur quidem, ut paucis adhuc explicetur 1). Rationem ob quam pactum  
hocce

1) Vitiosum satis exemplum exstat ap. LVENIG R. A. P. Sp. Cont. 2. Abt. 4. Abs. 2. n. 61 & 62. p. 296 seq. & 303.  
Compara si libet *Sammlung vermischter Nachrichten zur Sächs. Geset. B. XII. p. 1. seq. vbi historiam successionis Sa-*

hocce inierint, comites ipsi ponunt partim in de-  
crescente iam stirpe sua mascula, partim in aere  
alieno, quo obruti sint, ex temporis bellique mi-  
seriis nec non sumtibus necessariis in filios suspen-  
tandos factis conflato, cui dissoluendo ita prospice-  
re vellent, partim quoque in amicitiae, quae sibi  
cum ducibus Saxoniae intercederet, vinculo, & an-  
tiquo terrarum nexu; quibus ex causis adducti in  
perpetuum ita sanxerint, ut exstincta stirpe virili,  
omnes terrae suae eodem, quo eas possederant, mo-  
do ad Saxones transferrentur; hi contra promis-  
erint, se magnam debitorum suminam 2) suscipere  
ac sensim soluere velle: de quo postquam inter eos  
conuentum est, expositis variis casibus, qui hic  
accidere possint, a Saxonice ducibus demum con-  
fraternitatis mentio iniicitur 3). Per reliqua omnia

par

Saxonicae in comitatum Hennebergensem intenies — & p. 79  
seq. n. I. vbi summa pauci confraternitatis exstat, vii etiam  
apud MOSER St. R. T. XVII. p. 106. §. 56.

2) scilicet 130470 florenorum,

3) Verba haec sunt „Ferner dieweil wir wohl wissen, daß  
„wann unser Land durch eine neue u. kräftige Erbverbrü-  
„derung zusammen verliebet worden, verhütet werden kön-

„ne,

par est vtriusque conditio: promittunt se bona heredum propria separatuos, vel saltim certa pecuniae summa compensatuos esse, vidualitum & dotem constituunt, iureuando subditos obstringendos paciscuntur, possessionem terrarum sibi inuicem seruandam, & mutuum auxilium ferendum spondent, interposita quidem fide ac dignitate, quae principes decet; denique & id magnopere adniti volunt, vt impetrant confirmationem caesaream,

quam

„ne, damit nit auf unsern eines Stamines ledigen Abgang  
 „ein frembder Stamm in derer Orten einen einſitzen möcht-  
 „te , als haben wir uns verglichen , das vermöge dieser Ver-  
 „einigunge , auch in Kraft einer Erbverbruederung, die zwis-  
 „schen Sachsen, Hessen u. Hennebergk mit Bestätigung der  
 „Kaysl. Maj. aufgerichtet werden sollte, Hennebergk, wenn  
 „sie on ehliche Leibserben abgehñ würde, an uns die Her-  
 „zoge zu Sachsen, auch nach unserm Abgang an den Chur-  
 „fürst zu Sachsen, u. folgends an Philip zu Hessen; auch  
 „auf den Fall , wo wir die Grafen zu Henneb. den Sächsl. u.  
 „Hessl. Stamm überleben würden, das Coburgische *Ortland*  
 „zu Franken mit gleichen Rechten an uns, die Grafen zu  
 „Hennebergk — mit allen Uhrkunden u. Forderungen kom-  
 „men u. fallen,, quid vox *Ortland* sibi velit , vide in der  
 Sammlung vermischter Nachr. zur Sächsl. Gesch. l. c. p. q.  
 not. f,

F

quam quidem infecutam esse, aequa ac consensum electoris Saxoniae Augusti & Philippi, Hassiae Landgrauii 4), quatenus conuentio haec ad ipsos respiciebat, testantur tabulae, cum quas reuera dedit anno 1555 Carolus V., tum quas dedisse fertur Ferdinandus quatuor post annis 5). Quotquot exstant in hac re tabulae & vel illae, in quibus sacramenti dictio subditis iniungitur 6), conuentionem initiam confraternitatis nomine notant, nec negare velim, mutuum reuera adesse promissum, dummodo non mutua successio prima ac praecipua foederis conditio dicatur, quippe quam in aere alieno suscipiendo & soluendo consistere, cum ex tota paci*ti* meundi ratione, tum ex verborum rerumque ordine in primis manifestum est: nec fere nisi dicis causa a Saxonie ducibus successionis promissum adiectum esse, partim iam ex eo colligitur, quod illa tam longe reiecta sit post omnes fraterno foedere cum Saxonie.

4) apud LVENIG I. c. p. 303, in fine pa*cti* adiectus legitur.

5) LVENIG I. c. p. 303 & 305. Postiores vidisse se negat commentationis allegatae auctor in der *Sammlung zur Sächs. Geschichte* p. 12.

6) LVENIG I. c. p. 305. n. 63 & 64. & in RUDOLPHI Gotha diplomatica P. I. Th. I. c. 12. p. 90.

xonibus iunctos, qui comites Henneb; antecederent, partim ex iis, quae adduntur, verbis: „auch „in krafft einer Erbverbruederung, die zwischen „Sachsen, Hesfen und Hennebergk auffgerichtet „werden solle,“ quae probare videntur, conuen-  
tionem hanc tantum praemissam esse, quam demum  
alia insequatur, qua fusius omnia tractentur & com-  
ponantur; quo sit, vt & nomine a pacllo confrater-  
nitatis distinguatur 7), & ne Saxones titulo & in-  
signibus Hennebergicis vtantur, quod alias plerum-  
que in eiusmodi pactis fieri solet, diserte fanciatur.

Attamen scriptores, nulla rerum habita ratione,  
ad vnum omnes, confraternitatis pactum hic initum  
volunt; quare si, quid sentiam, dixi, non nisi dubia  
proponere, minime vero prudentiorum sententiae  
derogare volui.

### §. XXI.

Dicendum adhuc esset de origine, fatis atque  
brogressu pacti confraternitatis inter domum Saxo-  
nicam, Hassiacam & Brandenburgensem initi, quod  
cum

7) dum plerumque „Anwartung, Aufall und Contraß“, ad-  
pellatur.

cum ob inclytam familiarum, quae eo iunctae sunt; progeniem, tum ob temporis, ex quo constitit, antiquitatem, nominis claritate floret. Sed ne hoc aggrediar, cum ea, quae origines eius adhuc inuolvit, caligo, ex veteribus rerum gestarum tabulis accuratius quondam illustranda, tum pauci, quod per tot secula renouatum mox, mox immutatum legitur, amplitudo & argumenti grauitas admodum vetant: quare cum de illo in ipso tractatu expositus finem hic prolusioni imponere statuerim, nil reliquum est, nisi ut eruditorum lenius exoptem iudicium, quod eo facilius mihi meruisse videor, quo sincerior fuit mens & consilium, per qualecunque studium meum lucis quicquam afferendi, quod hic tractatum est, argumento.










Kr. 3306.

ULB Halle  
005 471 702

3



W.R.



B.I.G.



T R A C T A T V S

D E

PACTIS  
CONFRATERNITATIS  
PROLVSIO.

A V C T O R E

PETRO HASELBERG

I. U. D.

GOETTINGAE,

Apud VANDENHOEK ET RUPRECHT.

1787.